


# EPISTULA LEONINA

## CCLXXXIII

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CCXXXIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR: <https://ephemerisnuntii.eu/leonina.php/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS. ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM

**DUCENTESIMAM OCTOGESIMAM TERTIAM (283)**

## ARGUMENTA

<b>PRAEFATIUNCULA</b> .....	<b>03-06</b>
<b>CUCULLUS NON FACIT MONACHUM</b> .....	<b>07</b>
<b>BELLUM HOMINES VEXAT</b> <b>ELEGIA HORATII ANTONII BOLOGNA</b> .....	<b>08-09</b>
<b>ECCE RAFAELA RABIDA TUTATRIX BESTIARUM HERBIVORA</b> <b>QUAE POSTULAT UT HOMINES DESINANT COMEDERE CARNEM</b> .....	<b>10-20</b>
<b>DE ARBORUM VITA SECRETA REFERT PETRUS WOHLLEBEN</b> <b>ETIAM PLANTAE SENTIUNT, GAUDENT, DOLENT, MUTUO SE ADIUVANT.</b> <b>LICETNE RAFAELAE LACTUCAM ET CAROTAS SINE ULLA VENIA EX HUMO</b> <b>EXTRAHERE ET DISSECARE ET TRUCIDARE ET DEVORARE? .....</b>	<b>21-25</b>
<b>ARBOR MORTUA EST AMICA MEA</b> <b>CANTICUM OLIM AB ALEXANDRA CANTATUM</b> .....	<b>26-27</b>
<b>CHRONOGRAMMATA</b> ( <i>Rößler</i> ) .....	<b>28-35</b>
<b>QUID RESPONDEAT TOBIAS CHRONOGRAPHUS EDUARDO</b> <b>CALCULATORI CHRONOGRAMMATOCRITICO</b> .....	<b>36-38</b>
<b>AMOR. Fabula criminalis a Ferdinando de Schirach scripta</b> .....	<b>39-43</b>
<b>FABELLA GRIMMIANA: De vestificio prudente</b> .....	<b>44-47</b>
<b>MYTHUS GRAECORUM: Oedipus (II)</b> .....	<b>48-51</b>
<b>DE CAROLO CHRISTIANO A LANGSDORF (1757-1834)</b> .....	<b>52-54</b>
<b>INSTITUTIONES TECHNOLOGICAE LANGSDORFIANAE</b> <b>OPUS PROLIXUM VILNAE A.1806 EDITUM. AUCTORE CAROLO CHRISTIANO</b> <b>LANGSDORF. INDEX ARGUMENTORUM &amp; PRAEFATIO</b> .....	<b>55-59</b>
<b>DE DELICTO CONTRA SACRAMENTUM COMMUNIONIS A</b> <b>PUERO PATRATO</b> <b>SCRIPSIT LOGODAEDALUS</b> .....	<b>60-61</b>
<b>ECHUS VOCES &amp; EPISTULAE</b> ..... <i>Carolus Lyvens Vlnensis (62-63) - Lydia Brighi Coeditrix (63) - Alexius Vestigiarius (63-64) - Naevius Sartorius (64)- Ansgarius Osloensis (64-65) - Radulfus Bonaëropolitanus (66) - Urbanus Ferrarius Brasiliopolitanus (66-67)</i>	<b>62-67</b>
<b>EPISTULA CHRISTIANI LAES</b> .....	<b>68-69</b>
<b>CERTAMEN QUIRINALE</b> .....	<b>70</b>
<b>MYSTAGOGUS PULCHER AUGUSTANUS</b> .....	<b>71</b>
<b>ALEDARIUM QUID SIT</b> ( <i>Alexius Vestigiarius</i> ) .....	<b>72</b>
<b>LIBRI LEONIS LATINI</b> .....	<b>73-76</b>

## PRAEFATIUNCULA

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS  
SAL.PL.DIC.

*Cara Lectrix, Care Lector,*

*quomodo te habes? Rectène vales? Tibine sol arridet?*

*Denuo Leo tibi praebet Cornu Copiae et Saturam Lancem: Lectionem utinam ne asperneris: magna est varietas, quia delectat, habemus etiam aliquid aptum ad gustum tuum delicatissimum.*

*Utinam tandem fiat pax in Ucrainiâ! Magno honori nobis est, quod Horatius Antonius Bologna Poeta Laureatus benignè nobis misit alteram elegiam excellenter compositam, c.t. **BELLUM HOMINES VEXAT.** Secundo loco agitur *de sarcophagiae vituperatione.* In colloquio quodam Raffaella Raab tutatrix bestiarum herbivora et pugnacissima postulat, ne homines pergant carne vesci et ut bestiis concedantur iura humana. Deinde lectoribus praebeo symbolam, quae spectat ad Petrum Wohlleben saltuarium, qui refert *de arborum vitâ secretâ*; îdem enim pro certo habet arbores (aliasque plantas) sentire et dolere et gaudere et mutuo se adiuvere. Si Petrus rectè iudicat, nonne etiam peccat illa Raffaella phytophaga crudelissimè lactucam miserrimam necnon carotas et cucumeres deplorabiles ex humo maternâ eripiens, dissecans, degluttians? Quid denique nobis restat, si nos miseret*

omnium entium sensibilium? Num nemo verè probus est, nisi fame pereat? *Insania et vesanitas!*

Porro hanc Leoninam perlustrans invenies nonnulla de *Carolo Christiano a Langsdorf* scripta, qui fuit vir maximè admirabilis: Nam Vilnae in capite Lituaniae scholas Latinas habuit et Latinè scripsit ad usum studentium Lituaniae *Institutiones Technologicas*, quae complectuntur plus 600 paginas necnon genuit *duodenos liberos*, 8 filios et 4 filias, uxores duxit 4, unam post aliam. Babae, *facundus* necnon *fecundus* sanè vir, et *mente* et *mentulâ!*

Ne taedio temporis vexeris, cara Lectrix, care Lector, etiam huic Leoninae inserui narrationes: *AMOREM fabulam criminalem* et *FABELLAM VESTIFICULI PRUDENTIS GRIMMIANAM ET MYTHUM OEDIPODIS ET SPHINGIS ET IOCASTAE.*

Ne umquam praetermittas, o Musae Leoninae amatrix amatorve, *CHRONOGRAMMATA* Tobiae Rössler artificiosissima! Adiecta est vituperatio Eduardi Calculatoris et responsio Tobiae Rößler chronographi.

Nam *VARIETAS DELECTAT.*

*LOGODAEDALUS* nos laetificat quaestione Iuris Canonici solvendâ: *DE DELICTO CONTRA SACRAMENTUM COMMUNIONIS A PUERO PATRATO.*

Ceterum intimo ex animo tibi suadeo, ut perlegas etiam *EPISTULAS ET ECHÛS VOCES* mihi a lectoribus

*benignè oblatas, qui cogitationes commotionesque suas animorum exprimant Latinitate iucundissimâ...*

*Denuo Leo te movet **CERTAMINIS QUIRINALIS**. Utinam quam plurimi iuvenes ingeniosissimi et Latinissimi nomen dent participando! - Ceterum iuvat et delectat participare **MONSTRATIONES AUGUSTANAS**, quas hac aestate habet summâ peritiâ, Latinitate disertissimâ Mystagogus **MAXIMILIANUS PULCHER**.*


*Et praeconium **ALEDARII** mihi ab **ALEXIO VESTIGIARIO** perhumaniter est missum; utinam quam plurima Latina accipiamus ex Europâ orientali. Nam Latinitas huius regionis uberrima alibi parum nôta esse mihi videtur.*

*Nunc laetare perlustrans symbolas huius Epistulae Leoninae. Si eos textûs quos Leo aut edidit aut ipse scripsit aut togâ ornavit haud aspernatus eris - »**sublimi feriam sidera vertice**«. - Si agitur de quaestionibus litigiosis - semper studeas non solum thesi, sed etiam **antithesi** inveniendae; denique, mi care, fortasse feliciter continget, ut nos, tu et ego, unâ inveniamus **synthesin**! Sed quaecumque senseris, ne umquam obliviscaris proverbium Romanum: **AUDIATUR ET ALTERA PARS!***

*Cara Lectrix, care Lector, --- pancraticè valeas et pergas mihi favere. Medullitus te salutat...*

**Dr. Nicolaus Groß**

**Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**



<http://www.leolatinus.de/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae**

**Die Dominicâ, 20. m. Aug. a. MMXXIII**



## CUCULLUS NON FACIT MONACHUM

Nathaniel Hone 30 January 1772

<https://www.sparknotes.com/shakespeare/twelfthnight/quotes/theme/fools-and-foolishness/>

Here, Feste defends himself after Lady Olivia calls him a “dry fool” and insists that he be taken away. In Latin, Feste tells Olivia that **“the cowl does not make a monk,”** essentially implying that she shouldn’t judge a book by its cover. Just because Feste looks the part of a fool does not mean that he is actually foolish or unintelligent. As Feste insists, “he wears not motley in his brain,” meaning that he still has his wits about him. As we quickly learn, Feste is the most intelligent and incisive character in *Twelfth Night*. His brand of foolishness consists of funny puns and innuendos, but these are often quite poignant. By masking his wisdom with “foolishness,” Feste’s biting commentary feels unassuming and can squeak by without eliciting offense from those in power.

# BELLUM HOMINES VEXAT

## ELEGIA HORATII ANTONII BOLOGNA

*Tibi, Latinarum litterarum cultor, s. p. d. Horatius*

*Ante quam proficiscar, ad te aliam elegiam mittere iuvat, ut per Commentarios in lucem edatur. Cura ut plurimum valeas.  
Horatius*

### *Bellum homines vexat*

Magnus amor tenet et pectus permulcet honestum,  
 ut primum adspexi lumina laeta silens,  
 qua tauris celebrat festum sollemne sacerdos,  
 carmina qua populus moesta, Fabulla, canit.  
 Ampla per arva fugis tristis nunc mente, Fabulla: 5  
 pectora turbantur, bella nefanda tonant,  
 qua fuerunt olim Christi miracula nobis  
 prodigiumque crucis, foedera firma Dei.  
 Nuntia maesta ferunt: «Nondum Concordia terris  
 in nostris pacem condere nulla valet: 10  
 foedera, quae populi cupiunt, quae firma videntur,  
 despiciunt crudi, corde furente, viri.  
 In patulis campis nulli peragrarare coloni  
 agricolaeque solent: funera maesta timent.  
 Multa etenim facit ah bellum nunc funera dirum, 15  
 qua cecinere Dei foedera firma graves  
 discipuli Christi, pepulerunt numina falsa,  
 hic populi pugnant, hic pia corda timent.  
 Turbinibus fracti piceis armisque tremendis,  
 consurgunt homines, milite dante necem 20  
 urbibus in magnis, arvis pagisque misellis,  
 territa quos mulier corde tremente petit.  
 Sanguine terra dolet fraternae caedis: amore  
 nunc populi cuncti, maesta Fabulla, carent,  
 omnipotens quamvis dederit memorabile Christus, 25  
 stipite confixus, munus amore viris.  
 Laeta venis per prata, meum iam pectus amoris  
 tu laqueo vincis, pallida corda foves.  
 Sed resonant subitis horrenda fragoribus arma  
 valles per gelidas interitumque ferunt. 30  
 Nubila diffugiunt, oculi cum vespere formas



conspiciunt molles, quas levis una mihi  
 ante focum teneras subterque cubile ministras:  
 detrahis et vestem, luce micante, levem.  
 Credula dum tenet et pectus fiducia molle 35  
 conspicio frontem caesariemque tuam.  
 Rerum magna parens nitidas, dulcissima, formas  
 et pectus tenerum consiliumque dedit,  
 quis tu corda domas alacris, quis pectora turbas,  
 munera cum videant numina quae dederint. 40  
 Labitur, oh, Deus, et tempus, quod dulce videtur  
 mortalibus laetis; aequora vasta celer  
 perturbat Boreas rapido dum turbine, saxa  
 fluctus horrissonus murmure dura lavat.  
 Resplendens vultus tacitam simulare quietem, 45  
 perpetuam pacem compositamque solet.  
 Muta per arva graves voces oculique queruntur  
 sollicitis curis tristitiisque gemunt.  
 Optemus quod corda petant, dulcissima, semper  
 civibus a cunctis; matris in aede manus 50  
 ad caelum tendamus: amor descendat in omnes,  
 qui bellum tolerant, plangere damna solent.  
 Indiga pauperies homines perturbat et urget:  
 sola Quies nemorum tegmina grata petit.  
 Angelus es, teneros quoniam tu ducis amores, 55  
 lumina cum fulgent nocte, Fabulla, vaga,  
 quae tenebras tristes, luctus curasque repellunt:  
 interea moeror cor terit ille miser.

**ELEGIAM**  
**C.T.**  
**BELLUM HOMINES VEXAT**  
**PANXIT**  
**HORATIUS ANTONIUS BOLOGNA**  
**POETA LAUREATUS**

# ECCE RAFAELA RABIDA

## TUTATRIX BESTIARUM

### HERBIVORA HOMINIBUS PARUM PROPITIA



Colloquium interretiale actorum diurnorum, c.t. Viertel nach Acht – d.27. m. Apr. a.2023

<https://www.youtube.com/watch?v=ry3FK8nV0w0> - Moderatrix: Nena Brockhaus

Colloquii participes:

Birgit Kelle, publicatrix - Raffaella Raab, medica vegana - Max Mordhorst, legatus Conventūs foederalis factionis Liberalium - Enzo Weber, oeconomus

**RAAB:** Hodie hîc adsum, ut tollam vocem meam pro bestiis, quarum voces cottidie in confectorio<sup>1</sup> auditas negligimus. Earum voces, quas auditas negligimus, familias, quas disiungimus, infortunia, quae ibi efficimus rerum trivialium causâ. Coram nostrâ societate non solum in Germaniâ, sed ubique terrarum, fit infortunium ethicum maximum, i.e. bestiarum non-humanarum destructio massalis et redactio ad opera servilia necnon genus discriminationis, quod dicitur *species-ismus*. *Species-ismus* appellatur suppressio atque discriminatio individuorum, quae non fit propter colorem cutis, qualis vocatur *phyletismus*, neque propter *sexum*, qualis vocatur *sexismus*, sed propter *speciem*. Plerique nostrum putant se diligere bestias – permulcemus canes cattasque, quae sunt individua sensibilia et partim a nobis in familiam recepta magni aestimantur – at simul mittimus porcos et vaccas aliasque bestias omni die ad infortunium suum in confectorio patiendum, in ista *ergastula concentrationis* neque ullo modo sollicitamur taciti multitudinem sequentes. Quattuor tantum causae sunt, quibus vos hîc et multi spectatores nondum sint vegani: *mores traditi* et *gustus* et *consuetudo* et *commoditas* neque ullâ harum causarum ratio redditur has bestias supprimendi atque destruendi. Qui non est *veganus*, non est probus. Equidem postulo *iura personalia bestiis aliis*, i.e. non-humanis, concedenda.

**BROCKHAUS:** Domina Raab, licetne mihi directê in initio ex te quaerere hoc: Affirmo quidem oportere, ut hac in terrâ valeat libertas sententiae dicendae quam maxima. At me tua verba audientem valdê offendunt – quod mihi usque nunc a nullo hospite accidit quocum collocuta sum – verba q.s. ‚*holocaustum*‘ et ‚*ergastulum concentrationis*‘. Num reverâ sentis talem sermonem esse adhibendum? Nonne sentis *holocaustum* comparandum esse cum nihilo, cum nullâ re, quae umquam fuerit et sit in toto orbe terrarum?

**RAAB:** Primo loco licet comparare omnia cum omnibus, si agitur de similitudinibus aut differentiis perquirendis. Solâ comparatione nihil deminuitur, neque deminuitur malitia alicuius rei....

**BROCKHAUS:** At tu hîc directê inter se comparas alteram rem cum istâ. Visne holocaustum absolutê minus dicere quam fuit?

**RAAB:** Nolui nunc (*sc. caedem bestiarum*) comparare cum holocausto (*sc. Iudaeorum*). Ergastula concentrationis modo etiam sunt apud *Uiguros*, quae etiam hîc nomine appellantur. Hoc etiam ibi appellatur *holocaustum*. Nomen holocausti valet ad multa genera suppressionis et deletionis, quae facta sunt historiâ procedente. Nos autem in hac terrâ hanc notionem specialiter coniungimus cum incredibili infortunio (*sc. Iudaeorum*)... Meâ quidem sententiâ licet etiam similitudines verbis efferre (*sc. caedis bestiarum*) cum holocausto alterius belli mundani, ubi Iudaei aliaeque minoritates absolutê conclusae tractatae sunt maximê horribiliter. Puto autem nos omnes ad hanc mensam sedentes consentire dicentes: Iudaei aliaeque

---

<sup>1</sup> cfr ThLL 04,171,53: **cōnfectōr**<i>um, -ī n. a confector: GLOSS. II 477,48 χοιροσφαγεῖον. - cfr Liddell-Scott, Greek-English Dictionary, p.1996 s.v. χοιρο-σφαγεῖον, τό, *place where swine are slaughtered*, GLOSS. - cfr Georges, Ausführliches Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch, 14.ed., tom.I, col. 1436, s.v. **cōnfectōrium**, ī n. χοιροσφαγεῖον, das Schlachthaus, Gloss.II,477,48. - cfr Christian Helfer, Lexicon Auxiliare, 3.ed., Saarbrücken 1991, p.479, s.v. Schlachthof: „**cōnfectōrium**, ī n. | GLOSS.2,477,48]“.



minoritates illo tempore tractatae sunt tanquam bestiae. Puto huic sententiae nos omnes posse annuere.

**BROCKHAUS.** Ut hoc dicam quam clarissimè: Nos ambae definitivè non consentimus de holocausto neque ego umquam uterer hac comparatione. Nunc autem per gyrum me converto ad Dominam *Kelle*.

**KELLE.** Remotis comparationibus verbalibus difficilis mihi videtur aequatio rerum inter se differentium. Haud iniustè non sunt bestiis iura humana, quia aliae sunt bestiae et alii sunt homines. Si dicis: ‚*Mihi falsum videtur animalia distribuere in species*‘, tu res verè factas consideras mente perturbatâ. Nemo excogitavit esse varias species bestiarum, sed haec est res naturalis. Simul id oportet affirmare, quod non agitur de licentiâ et violentiâ et laetitiâ (sc. bestias vexandi), sed de nutritione nostrâ. Itaque mihi quidem videtur esse prorsus legitimum carnem comedere. Quidni?

**RAAB:** Ubi est differentia quae valet ratione ethicâ?


**KELLE:** Alii sunt homines, aliae sunt bestiae.

**RAAB:** Alii sunt homines *nigri*, alii *albi*. Aliae sunt *feminae*, alii *viri*. Suntne itaque feminis iura pauciora? Licetne nobis nigritanos facere servos? Ubi est differentia, quae valet ratione ethicâ? ADN (acidum dysoxyribonucleinicum), illae aliquot moleculae, quibus nos differimus a bestiis? Non, bestiae et nos sumus individua aequaliter sensibilia. Si nunc pede calco aliquam cattam, eadem sonum êdit ‚*Miau!*‘ et timet. Si vaccam pede calco, sonum êdit ‚*Mu!*‘ et timet.

**KELLE.** Non licet tibi cattam calcare, quia in hac terrâ habemus iura bestias protegendi. Nonne hoc novisti?

**RAAB.** Scilicet me hoc novisse. Ex duobus annis sum *activistria* iurum bestiariorum. Hoc mihi nôtum est. At cur nobis non licet trucidare et mactare *cattas* et *homines*, sed licet *vaccas* et *porcos* et *pullos* et *oves*? Ubi est differentia, quae valet ratione ethicâ? Talis differentia inter bestias et homines nulla est, eodem modo, quo nulla est inter homines variorum colorum cutis aut varii sexûs, si agitur de iuribus concedendis. Quare (sc. *differentia*) speciei (*efficit differentiam iurum, quae sunt concedenda*)? Si nunc mutatione quâdam geneticâ mihi crescant aures vaccinae, ut non iam pertineam ad speciem *Hominis sapientis*, sed ad novam species, quae





***Quod tibi fieri non vis...***  
**Qui non est veganus, non est probus.**

appelletur *Homo \*vaccinus*, ideoque non iam ero homo – licebitne tibi me mittere ad confectorium? Bene spero non fore, ut hoc tibi liceat! Nam adhuc ero individuum sensibile. Quia nos affirmamus – credo quidem te, ut es liberalis (*alloquitur Mordhorstium politicum*) – nobis omnibus esse ius *autodeterminationis*. Cur hoc ius finiat in limite speciei, si cognovimus etiam colorem cutis in hac re ullo modo valere?

**MORDHORST.** In hac re oportet singulas res et notiones clarê et accuratê unam ab alterâ discernere. Holocaustum cum aliis sceleribus comparare aut eo quod ad alias res refertur, verbis veritate minus describere omnino non licet. Nam istius sceleris singularitas in eo est, quod homines – et pro certo habeo homines differre a bestiis – interfecti sunt ratione *machinali*. Qui homines eo quod machinaliter necabantur, omni dignitate privati sunt. Istud facinus – hoc mihi quidem videtur – fuit singulare ideoque a nobis Germanis loquendo tractetur magnâ cum responsalitate.

De alterâ autem re licet disputare: protectio bestiarum earumque iura – quânam re eadem inter se differant. Equidem hodie in refectorio prandium sumens comêdi assum porcinum. Spero me nunc a te non appellatum iri necatorem. –

**RAAB.** Tu es necator illius bestiae.

**MORDHORST.** Pater meus fuit agricola – adolevi in villâ rusticâ. – Itaque saepe conversabar cum bestiis ibidemque fuerunt etiam porci et vaccae eqs. Pater autem meus fuit vir probus et frugalis, qui nihil faciebat nisi operam suam. Necnon puto nobis reverendos esse homines, qui operentur munus suum explentes.



Oportet etiam, si rem consideramus ratione politicâ, sub conspectu maiore dicere: Nos in Germaniâ habemus praecepta bestias protegendi satis severa, quae ubique terrarum sunt aliquatenus singularia. Si autem nunc incipiemus relictam partem agriculturae, quam adhuc habemus, in terras peregrinas transponere, neque progressum faciemus bestias protegendi neque iura bestiarum augendi. Videndum enim est: Licet in aliâ parte simus radicaliores, in aliis minus radicales, denique maximê valet id quod possimus assequi ad bestias protegendas. At si curabimus, ut in Germaniâ deminuaturs cultura bestiarum – in fine potius protectioni bestiarum nocebimus.

**BROCKHAUS:** Domine *Mordhorst*, modo aliquid dixisti, quo excitetur expectatio nostra: te adolevisse in villâ rusticâ, et Domina, tu aliquando dixisti: ‚*Qui bestias vult comedere, is oportet sciat etiam bestias necare.*‘

**RAAB.** Hoc numquam dixi. Solâ hac de causâ, quâ sciam necare, nullum ius mihi est idem faciendî. Solâ hac de causâ, quod aliquem sciam constuprare aut vitiare, nondum mihi licet haec facere.

**BROCKHAUS.** Ergo verba tua falso citata sunt. Tu haec verba non fecisti...

**RAAB.** Patet solam facultatem necandi non esse causam, quâ mihi necare permittatur. Nam hîc modo victima non melius se habebit.

**BROCKHAUS.** Ergo vetabis etiam venari.

**RAAB.** Scilicet. Etiam nunc mihi non licet in silvam profecto aborigines sclopeto necare.

**KELLE.** At quid sentis faciendum esse de bestiis mutuo se devorantibus? Nam comedunt non solum homines bestias, sed etiam bestiae devorant bestias. Quid facias de omnibus illis bestiis carnivoris?

**RAAB.** Primo incipiam ab hominibus.

**KELLE.** Non!

**RAAB.** Tu – quod politicos facere exspecto - quaestionem meam prorsus evitasti. Ubi est differentia quae valet ratione ethicâ, inter bestiam humanam et bestiam non-humanam, qualem hodie prandisti? -

**MORDHORST.** Egone sum *bestia humana*?



**BESTIAE EGENT IURIBUS HUMANIS !**

**RAAB.** Homo es. Nos sumus bestiae – bestiae mammales. Si quid studio meo medicinae universitario didici, hoc quidem scio, te esse *cum grano salis* eâdem structurâ, quâ sit illa bestia, quam meridie comedisti. Ubinam est differentia, quae valet ratione ethicâ?

**KELLE.** Puto Dominum *Mordhorst* non esse canem.

**RAAB.** Ubi est differentia, quae tanti valet ratione ethicâ, ut mihi liceat porcos comedere?

**BROCKHAUS.** Iterum veniamus ad aliam differentiam (*sc. hominis et bestiae*): Nos ambae una in alteram non impetum faciamus, immo dilanemus; at bestiae in rerum naturâ non ita ut nos homines congregantur et ad mensam considunt et inter se disputant et denique manûs inter se porrigunt, sed in rerum naturâ (*sc. inter se aggređiuntur et devorant*) – itaque fit *venatio sustentatoria*<sup>1</sup>, - nam venatio est tutela naturae ad effectum adducta.

**RAAB.** (*sc. Ergo*) si naturam velim protegere, homines sclopeto necabo.

**BROCKHAUS.** At Domina Raab, nunc tu loqueris more hominis politici.

**RAAB.** (*ad Mordhorstium conversa*) Nondum respondisti ad quaestionem meam.

**BROCKHAUS.** At ego aliquid quaesivi ex te.

**RAAB.** Ubi est differentia, quam mihi attulisti?

**BROCKHAUS.** Dixi: Nos non mutuo nos comedimus. At in feris regionibus naturalibus bestia una alteram praedata devorat. Quonam modo vis impedire, ne hoc fiat?

**RAAB.** Tu mihi nullam attulisti differentiam (*sc. hominis et bestiae, quae tanti valeat ratione ethicâ, ut homini liceat bestiam necare*). Tamen ego respondebo argumento a te allato. Quod tu facis est falsa conclusio naturalistica. Licet bestiae in naturâ rerum inter se vim afferant, tamen ideo nobis non licet vim afferre bestiis. Non licet praecepta nostra moralia accommodare ad ea quae fiunt in naturâ. Si tu ex me quaeris, quid faciamus de bestiis in naturâ mutuo inter se impetum facientibus, tibi dicam: Si viderem bestiam rapacem impetum facere in alteram bestiam, ego me interponerem eodem modo, quo te conarer contra leonem protegere. At antequam possim in loca deserta ire ibidemque curare, ut omnis bestia rapax nutriatur substantiâ

<sup>1</sup> *vĕnātiō \*sustentātōria* – orig. *nachhaltige Jagd*. cfr angl. *sustainability* theod. *Nachhaltigkeit*.



VIRALE SCOPOCINEMA RECENTISSIMUM:  
ECCE MILITISSA VEGANISMI

herbaceâ in locum carnis surrogatâ, et reverâ talia conamina iam fiunt (hoc thema ethices veganae appellatur „*passio bestiarum ferarum*“) et ---

**BROCKHAUS.** Ergo tu vis cibare bestias feras ----

**RAAB.** Scilicet primo colloquar cum hominibus, qui omni die, ter in die, decernere possunt, utrum individuum mittant in caedem idemque ad servitutem redigant in totam vitam, an se nutriant pomis et holeribus et fabis soianis et nucibus et seminibus necnon vitamino B12 supplemento, sine ---

**MORDHORST.** At in hac re inter nos dissentimus. Nunc loquar aliquatenus fundamentaliter, sed pro certo habeo hominem fundamentaliter se differre a bestiâ.

**RAAB.** Scilicet. Differt!

**MORDHORST.** Eo se differt, quod nos homines habemus voluntatem liberam et intelligentiam emotionalem---

**RAAB.** Quare ab his omnibus desistis, cum decernis, ut bestias interficias?

**KELLE.** Sinas eum eloqui quid dicturus sit!

**MORDHORST.** Haec est dignitas iure constitutionalis fundata, dignitas humana, quâ nos fundamentaliter differamus ab omnibus animalibus ceteris, ab iis saltim, quae novimus. Ceterum eâdem dignitate nos differimus a machinis – quod multum valet quoad intelligentiam artificialem. Ergo homo stat inter machinas et bestias. Îdem autem est dignitate propriâ, libero arbitrio, intelligentiâ emotionali idemque valet iam fundamentaliter nos debere bestias protegere. At bestiae non sunt individua ideoque non habent iura propria.

**RAAB.** (*ridet*) Quid – bestiae non sunt individua?

**MORDHORST:** Secundum ius bestiae tractantur tamquam res. Haec non est persuasio mea. Mihi bestiae non videntur esse res. At bestiae non sunt individua. Bestiae sunt protegendae. Ut hoc fiat oportet nos conferre, nos laborare ----

**RAAB.** Quid est individuum?

**MORDHORST.** Bestiae non habent iura individualia et inter homines et bestias est etiam differentia *qualitativa*, non solum *gradualis*.

**RAAB.** Ubi est differentia, qua ratio reddatur bestiae necandae, et quare bestia non est individuum?





„MODO COMÊDI DUO COPADIA“

**MORDHORST.** Individuum habet liberum arbitrium, habet personalitatem<sup>1</sup>, habet intelligentiam emotionalem ---

**RAAB.** At canis non habet personalitatem? Nonne apparet canem pro indole suâ verê personali atque individuali decernere, quod animal palpabile<sup>2</sup> maximê diligit, quo lusum abeat libentissimê, quomodo se gerat coram homine... Puto plerosque homines in hîc circulo, qui iam aliquando permulserunt canem aut cattam, si interrogarentur, isti sententiae vehementer contradicerent. At porcus est bestia huius mundi quinta ab omnium intelligentissimâ, etiam intelligentior quam canis! Hae bestiae sunt maiore capacitate emotionali quam canes – et tamen tu hodie meridiano tempore talem bestiam curavisti necandam!

**MORDHORST.** At nunc non dicis falsum esse bestias comedere, sed dicis falsum esse distinguere inter canes et porcos. Inde apparet agi de differentiâ, quae spectat ad cultum civilem.

**WEBER.** Equidem hoc scire cupio: Potestne fieri, ut in hîc colloquio progrediamur? Habemus hic activistriam – intellego, quid tibi cordi sit, quia ipse sum vegetarianus.

**RAAB.** At tu adhuc bibis lac vaccae maternum. Tune es infantulus vaccae lactans? Placetne tibi matres ad servitutem redigere?

**WEBER.** Adest vir politicus. Quod tu postulas maxima – intellego ratione communicandi. At qui est gradus procedendi proximus? Certê non statim assequêris postulata tua maxima. Quâ in lêge bestias protegendi mutanda, ubi fieri poterit gradus proximus? Fortasse etiam viâ internationali, ne semper ratio reddatur cunctationis propriae eo quod alias nationes accusantur?

**RAAB.** Id autem quod postulo ab hominibus huius circuli necnon ab omnibus spectatoribus, non est maximum, sed minimum: Nihil postulo nisi ne quis pergat bestiis vim afferre. Puto, si nunc hîc staret vacca, cui auferretur vitulus, omnem nostrum – te Domine, ut es vegetarianus – et te, Domina, ut es mater, nonne hoc intellegitis – doleo, quod tu, Domina, animo iam es obduratiore, quam ut vaccae te miserat – sed puto plerosque nostrum intercessuros fuisse, si huic vaccae auferretur

1 **\*persônâlitâs**, -âtis f. cfr Albert Sleumer, Kirchenlateinisches Wörterbuch, Limburg an der Lahn 1926, p.596: persônâlitâs, -âtis f. *Persönlichkeit, persönliches Wesen.*

2 **animal palpâbile** *Kuscheltier, Plüschtier; cuddly/soft toy, stuffed animal; animal en peluche; animal de peluche; animale di peluche, peluche.*



**HOMINES NON-VEGANI SUNT VITIATORES BESTIARUM !**  
 (CADAVER BESTIAE) = CARO - (VACCA VITIATA) = LAC, CASEUS  
**VIVAS MORE VEGANO, NE VIVAS MORE SAEVO !**

vitulus parvulus – ut acciperemus aliquantulum lactis cafeae infundendum – frustulum casei – frustum pedis! Tu dixisti de humanitate – certê, nos sumus animalia praestantissima! Ratione technologicâ nos fortiores sumus quam cetera animalia omnia, sed hac de causâ obligamur responsalitate! Humanitas est clementia, humanitas est responsalitas!

**BROCKHAUS.** Domina Raab, nunc autem interrogabo Dominam Kelle – tu animo commoto iam demonstrasti, quid tibi cordi sit...Domina Kelle, estne nunc tibi persuasum postulata maxima esse explenda?

**RAAB.** Postulata minima!

**KELLE.** Postulata minima! Ergo tu hoc dicis postulatum minimum, quod nunc nobis omnibus nihilo vivamus nisi aëre et amore et vegetabilibus? Hoc mihi non videtur persuasibile et timeo, ne nemini persuadeas, quia non desinis inter se permiscere res, quae nullâ ratione inter se pertineant. Quia res comparas unam cum alterâ, quae inter se nullo modo congruant. Licet quidem tibi hoc facere, sed hōc modo disputantes omnino non progredimur, quia non consentimus bestias esse alia animalia ac homines ideoque habere alium statum iuridicum. Itaque ne primo gradu cogitandi progredimur, ex quo pergere possimus. Secundo autem loco sentio tibi non esse ius, quo generi hominum praescribas, qualem instruat catenam suam nutritivam. Nam

esus carniū non est res quae fiat aut non fiat ad libitum uniuscuiusque, sed est res, sine quā non fiat nutritio consentanea. Si autem fit nutritio defectiva---

**RAAB:** Falsum dicis!

**KELLE:** Istud tam absolutē dicis! Ratione totalitarismi! Secundum normam: ‚*Aut es veganus aut es necator!*‘ Istud mihi videtur – ignoscas - ridiculum! Sed restat mihi aliquid quaerendum, quia aliquā re perturbata sum: Vidi te defendere iura mulierum, nonne?

**RAAB:** Praeter cetera, etiam.

**KELLE:** Comprobasne abortionem?

**RAAB:** Non, sentio *conscientiam* esse protegendam.

**KELLE.** Ergo *comprobas* ius mulieris, quo curet infantulum suum non natum interficiendum, sed *reprobas* interfici vaccam?

**RAAB.** Si infantulus nihil sentit, nisi est individuum conscientiae particeps...

**KELLE.** Ergo nunc contendis infantulum utero insitum nihil sentire?

**RAAB.** Nullum habemus indicium scientificum, (*sc. quo sciamus foetum aliquid sentire*)...

**KELLE.** Istud, ut sincere dicam, aliquatenus est paradoxum.

**RAAB.** Si tu affirmas servandam esse mulierum libertatem sexualem, oportet ut desinas curare lactis caseique causā vaccas constuprandas. Feminas gravidas, vaccas feminas, quae dissecantur, infantulos, qui suffocantur in corpore matrum, qui certissimē dolores sentiunt, contra ac infantuli, quae decem tantum habent septimanas----

**KELLE.** Ergo hoc teneamus: Tu putas permittendum esse, ut mulieres interficiant *infantulos* non natos, sed non permittendum esse, ut mactetur *gallina!*

**RAAB.** Rectissimē. Infantuli, qui nihil possint sentire...

**BROCKHAUS.** Hac thesi a Dominā *Kelle* nunc allatā pausam faciamus ... Gratias agimus Dominae Raab, quod particeps fuit disputationis nostrae, nam volueramus audire sententias omnes...Postquam magno cum affectu animorum de protectione bestiarum iuribusque, nunc directē transgredimur ad oeconomiam tractandam ...



ECCE GRYLLUS C.T. *Vegetarianus*,  
ab Edmundo Harburger (1846–1906),  
a.1879 delineatus.

**COLLOQUIUM**  
**CUM**  
**RAFFAELA RAAB**  
**BESTIARUM TUTATRICE**  
**ET**  
**VEGANISMI UNIVERSALIS**  
**POSTULATRICE**  
**FACTUM**  
**IN LATINUM CONVERTIT**  
**LEO LATINUS**



# DE ARBORUM VITA SECRETA

## REFERT PETRUS WOHLLEBEN SALTUARIUS

ETIAM PLANTAE SENTIUNT, GAUDENT, DOLENT, MUTUO SE ADIUVANT. NUM LICET RAFAELAE RABIDAE CAROTAS ET LACTUCAM ET CUCUMERES CRUDELISSIME E TERRÂ EXTRAHERE, DISSECARE, TRUCIDARE, DEVORARE? LEGE QUID DE VITÂ ARBORUM DOCEAT PETRUS WOHLLEBEN SALTUARIUS ...



*Peter Wohlleben: Das Geheime Leben der Bäume. Was sie fühlen, wie sie kommunizieren – die Entdeckung einer verborgenen Welt. München 2015.*


*i.e. Latine: Petrus Wohlleben: De vitâ arborum secretâ. Eaedem quid sentiant, quomodo inter se communicent – quomodo inventus sit earum mundus abditus. p.3; p.7-29.*

**Scripsit Petrus Wohlleben, in Latinum convertit Leo Latinus.**

### AUCTOR.

**Petrus Wohlleben**, qui natus est a.1964, iam puer parvulus voluit fieri *protector naturae*. Îdem vir studuit *scientiae forestali* cognoscendae et per plus viginti annos fuit officialis *administrationis forestalis*. Hodie est director *academiae silvestris Eifliensis* et ubique terrarum fovet silvas primigenias restituendas. Petrus est hospes multarum emissionum televisificarum, acroases facit et seminaria habet et scripsit libros, quibus tractantur *silva* et *tutela naturae*. Libris suis plurimum divenditis, quibus tituli sunt *De vitâ arborum secretâ*, *De animâ bestiarum*, *De retificio naturae secreto*, *De taeniâ secretâ*, *quâ homo et natura inter se coniungantur*, Petrus Wohlleben animos hominum ubique terrarum viventium suavissimê affecit. Nuperrimê editum est periodicum, c.t. *Mundus Wohllebii*. Quod homines imbuit scientiâ animo commoto et methodis inusitatis, eidem viro a.2019 attributum est *Nomisma Naturae Tutandae Bavaricum*.





Triumphus civis *Potuani* (Imago rasilis, quam confecit *Johann Friderich Clemens* a.1789, ut illustraret editionem fabulae phantasticae *Ludovici Holbergii*, Dani auctoris celeberrimi, c.t. „*Nicolai Klimii Iter Subterraneum*“



**PRAEFATIO.**

Cum ingrederer cursum honorum saltuarii, de arborum vitâ secretâ ferê tantum scivi, quantum lanus scit de animae bestiarum commotionibus. Moderna enim scientia forestalis producit lignum, id est stipites decîdit et deinde novas plantat propagines. Si quis legit periodica specialia, mox ei videtur salus silvae non valere nisi spectat ad statum oeconomicum. Ad labores saltuarii cottidianos exanclandos cum hoc sufficiat, paulatim facultas silvam cognoscendi deminuitur. Cum cottidie debeam aliquot centum piceas, fagos, quercûs aut pinûs examinare, ad quem finem aptae sint in serratrînâ et quanti valeant in mercatu, ratio mea silvam probandi coartata est.

Ante 20 ferê annos coepi cum philotheoris facere *exercitia supervivendi et itinera, in quibus pernoctabamus in casis caudicalibus*. Postea accesserunt *silva funeralis et reservatoria silvae primigeniae*. Cum colloquia habebam cum multis visitoribus, imago mea silvae paulatim correcta est. Arborea incurvae et squarrosae, quas illo tempore adhuc esse minoris momenti putabam, migratorum animis inciebant admirationem. Unâ cum illis didici non solum animum attendere ad stipites eorumque qualitatem, sed etiam ad radices ex horrido formosas, ad peculiare crescendi formas et ad musci tomenta tenerrima cortici insita. Amore meo naturae, quo iam puer senarius commotus eram, denuo inflammatus sum. Subito invêni miracula innumera, quae vix sciebam explicare. Praeterea Universitas Aquisgranensis coepit in cynegesi<sup>1</sup> meo exanclare labores investigandi regulares. In talibus perscrutationibus responsum est multis quaestionibus, simulque exortae sunt quaestiones novae. Vitam meam saltuarii degi novâ quadam cum exspectatione, omnis dies silvestris mihi factum est iter explorandi. Ideo novi respectûs necessarii facti sunt in oeconomiâ silvae insoliti. *Qui scit arbores dolorem sentire posse et memoriâ instructas esse necnon arbores parentes convivere cum liberis suis, eidem non iam licet socorditer eas decîdere neque machinis magnis inter easdem saevire*. Iam ex duobus decenniis tales machinae non iam adhibentur in cynegesi meo, et si tamen singuli stipites metuntur, operarii silvarii hos labores cautê exanclant unâ cum equis suis. Silva sana, fortasse etiam felix multo est fertilior, ideoque etiam lucrosior. Hôc argumento etiam meis operarum conductoribus, incolis communitatis *Hümmel* persuasi, et ita factum est, ut hôc in vico *Eifliae* pusillo etiam in futurum nulla ratio oeconomica alia adhibeatur. Arborea suspirant et etiam plura secreta patefaciunt, praesertim illi greges arborum, qui vivunt in regionibus nuper demum instructis ibique prorsus nullo modo inquietantur. Numquam desinam ex his arboribus discere, sed ea tantum, quae usque nunc sub tecto foliorum invêni, prius ne somnio quidem umquam suspicatus eram. Itaque te invito, ut mecum communices felicitatem, quam arbores nobis dare possunt. Ceterum quis scit, num fortasse proximâ in ambulatione tuâ silvestri ipse inventurus sis miracula parva et magna.

---

<sup>1</sup>\*cynegesium, -ī n. Jagdrevier.



Typus Civis Potuani. Imago primae editionis operis Holbergiani a.1741 editi, c.t. „Nicolai Klimii Iter subterraneum“.





Ecce **Petrus Wohlleben saltuarius**  
parvulis explicat silvae secreta



Ecce **funus sollemne**  
civis Potuani arborarii

**PRAEFATIONEM OPERIS**  
**A**  
**PETRO WOHLLEBEN SALTUARIO**  
**CONSCRIPTI**  
**C.T.**  
**„DE VITA ARBORUM SECRETA“**  
**E THEODISCO**  
**IN LATINUM SERMONEM**  
**CONVERTIT**  
**LEO LATINUS**

# ARBOR MORTUA EST AMICA MEA

## Canticum olim ab Alexandrâ cantatum



### ALEXANDRA CANTATRIX

i.e. *Doris Alexandra Nefedov*

(1942-1969)


<https://www.youtube.com/watch?v=bADHWv-EDF8>

Mein Freund der Baum • Original • Alexandra • 1968

MEIN FREUND DER BAUM	ARBOR AMICA <sup>1</sup> MEA <i>Pedestris tantum versio Latina – quod doleo. Pegaso calcaria subdite, poetae Latinissimi !</i>
<p>Ich wollt dich längst schon wieder seh'n Mein alter Freund aus Kindertagen Ich hatte manches dir zu sagen Und wusste du wirst mich versteh'n Als kleines Mädchen kam ich schon Zu dir mit all den Kindersorgen Ich fühlte mich bei dir geborgen Und aller Kummer flog davon Hab' ich in deinem Arm geweint Strichst du mit deinen grünen Blättern Mir übers Haar mein alter Freund</p> <p>Mein Freund der Baum ist tot Er fiel im frühen Morgenrot</p> <p>Du fielst heut früh ich kam zu spät</p>	<p>Iam pridem volui te revidere, amica mea vetula quam nôvi iam puellula! Habebam nonnulla, quae tibi dicerem et sciebam me a te intellectum iri. Iam puellula veniebam ad te curis omnibus onusta, sentiebam me a te protegi, ut avolaret omnis aegritudo. Cum flebam bracciis tuis circumdata foliis viridibus, tu permulsisti capillos meos, amica mea vetula!</p> <p>Arbor mortua est, amica mea, quae cecidit aurorâ primâ.</p> <p>Hôc mâne cecidisti, vêni nimis sêro.</p>

1 Arbores in Latino sermone sunt feminini generis (quia Romani credebant iisdem inhabitare nymphas), paucissimae tantum sunt exceptiones, eademque ferreae Latinitatis, ubi genus arboris sit masculinum, cfr ITALA apoc.7,1. Itin.Anton.Hier.15. CIL 13.1780. GREG.TUR.Hist.Franc.5,3. Etiam interpretes textuum modernorum potius respiciunt genus grammaticum sermonis, in quem textum convertunt quam illius, ex quo convertunt, e.g. titulus illustris fabulae romanicae *Roberti Schneider* a.1992 editae theodiscus, qui est „*Schlafes Bruder*“ (quo frater somni dicitur esse *Mors*, sed eadem in Hispano – ut in Latino - sermone est feminini generis: *la muerte*) ab interprete Hispano redditus est verbis, q.s. '*Hermana del sueño*'; itaque equidem eundem titulum Latinê dicam „*Somni soror*“. Minus feliciter quam Hispanus interpres mihi videtur appellasse versionem fabulae suae Francogallus: „*Frère Sommeil*“. Nam „*Schlafes*“ cum sit casus genitivus, titulus spectat ad *Mortem*, quae dicitur esse frater (secundum usum generis Latinum: *soror*) Somni, non ad *Somnum*.

<p>Du wirst dich nie im Wind mehr wiegen          Du musst gefällt am Wege liegen          Und mancher, der vorüber geht          Der achtet nicht den Rest von Leben          Und reisst an deinen grünen Zweigen          Die sterbend sich zur Erde neigen          Wer wird mir nun die Ruhe geben          Die ich in deinem Schatten fand          Mein bester Freund ist mir verloren          Der mit der Kindheit mich verband</p>	<p>Non iam vento vibraberis,          Occisa iaces iuxta viam.          Nonnullus te praeteriens          non respiciens vitae partem tibi relictam          arripiet ramos tuos virides          qui humum se declinant morituri.          Quis nunc quietem mihi dabit,          quam invêni in umbrâ tui?          Periiit mihi amica mea optima,          quâ eram coniuncta cum infantiâ.</p>
<p>Mein Freund der Baum ist tot          Er fiel im frühen Morgenrot</p>	<p>Arbor mortua est, amica mea,          quae cecidit aurorâ primâ.</p>
<p>Bald wächst ein Haus aus Glas und Stein          Dort wo man ihn hat abgeschlagen          Bald werden graue Mauern ragen          Dort wo er liegt im Sonnenschein          Vielleicht wird es ein Wunder geben          Ich werde heimlich darauf warten          Vielleicht blüht vor dem Haus ein Garten          Und der erwacht zu neuem Leben          Doch ist er dann noch schwach und klein          Und wenn auch viele Jahren geh'n          Er wird nie mehr der selbe sein</p>	<p>Mox domus crescet, ex vitro et ex lapide          Ibi ubi illa est decisa,          mox prominebunt muri grisei,          ibi ubi sole lucente iacet illa.          Fortasse fiet miraculum          Quod clam exspectabo.          Fortasse ante domum hortus florebit          et arbor resurget.          At erit adhuc tenuis et parvula,          nec multis annis iam elapsis          umquam erit arbor eadem quae fuit.</p>
<p>Mein Freund der Baum ist tot          Er fiel im frühen Morgenrot</p>	<p>Arbor mortua est, amica mea,          quae cecidit aurorâ primâ.</p>



CANTICUM OLIM AB ALEXANDRA CANTATUM C.T. ARBOR AMICA MEA  
 IN LATINUM SERMONEM PEDESTREM CONVERTIT LEO LATINUS

# CHRONOGRAMMATA RÖSSLERIANA

## Chaim Soutine

\* 1893 in Smilawitschy, Russisches Kaiserreich

† 9. August 1943 in Paris

Chaim Soutine war ein französischer Maler belarussisch-jüdischer Herkunft.



CHAIM SOUTINE  
PICTOR PRAECELLENS  
ANTE OCTOGINTA ANNOS  
DIE NONO AVGVSTI OBIIIT

MMXXIII

Der ausgezeichnete Maler CHAIM SOUTINE  
starb am 9. August vor 80 Jahren.

Ralph Dutli, „Soutines letzte Fahrt. Roman“ Göttingen: Wallstein, 2013.

[Soutines letzte Fahrt - Ralph Dutli \(ralph-dutli.de\)](http://ralph-dutli.de)

„Chaim Soutine. Gegen den Strom.“


Ausstellung vom 2.9.2023 bis zum 14.1.2024

[Kunstsammlung NRW: Startseite](#)



## Franz Radziwill

\* 6. Februar 1895 in Strohausen, heute Rodenkirchen in der Wesermarsch  
 † 12. August 1983 in Wilhelmshaven



FRANCI CVS RADZIVVILL  
 PICTOR BONVS  
 ANTE BIS VIGINTI ANNOS  
 PRIDIE IDVS SEXTILES  
 EX VITA EGESSVS

MMXXIII

Am 12. August vor 40 Jahren starb der große Maler FRANZ RADZIWILL.

Franz Radziwill nimmt in der Kunstgeschichte des 20. Jahrhunderts eine Ausnahmeposition ein. Kunsthistorisch fächert sich sein Œuvre auf in ein expressionistisches Frühwerk, ein neusachliches und magisch-realistisches Hauptwerk sowie ein symbolistisches Spätwerk. Bekannt sind rund 850 Ölbilder, 2000 Aquarelle, Zeichnungen und bemalte Postkarten sowie 35 druckgrafische Arbeiten.

Das Gesamtwerk umfasst Landschaften, Stilleben und Porträts. Zentrales Thema des Malers ist das Spannungsverhältnis von Natur und Technik. Stilistisch orientierte er sich an den Avantgarde-Künstlern des beginnenden 20. Jahrhunderts, erste Arbeiten zeigen sich beeinflusst von Vincent van Gogh, Edvard Munch und Marc Chagall.

*Quelle: Wikipedia*

## Karel Klostermann

\* 13. Februar 1848 in Haag am Hausruck, Österreich, als Carl Faustin Klostermann  
 † 17. Juli 1923 in Štěkeň

Karel Klostermann war ein deutsch- und tschechischsprachiger Schriftsteller. Er schrieb auch unter dem Pseudonym *Faustin*.



CAROLVS KLOSTERMANN  
 SCRIPTOR ILLUSTRIS  
 QUINQVIIES VIGINTI ANNIS ANTE  
 XVI KAL. AVGVSTAS  
 VIVERE DESIT

MMXXIII

Der berühmte Schriftsteller KAREL KLOSTERMANN starb am 17. Juli vor 100 Jahren.

Ab 1885 erschienen seine in deutscher Sprache verfassten Erzählungen in der Zeitung *Politik*. Da Klostermanns auf Deutsch geschriebenes Buch *Böhmerwaldskizzen* keinen Erfolg hatte, wendete er sich als Schriftsteller verstärkt der tschechischen Sprache zu (*Der Sohn des Freirichters*, 1890). 1892 erschien sein erster Roman *Aus der Welt der Waldeinsamkeiten*, den die Königliche böhmische Gesellschaft der Wissenschaften mit einem Preis auszeichnete. Zwischen 1901 und 1919 erschienen zehn seiner insgesamt vierzehn Romane sowie zehn Sammelbände mit Erzählungen. Fünf dieser Romane erhielten den Jahrespreis dieser Gesellschaft.

Im Juli 1923 starb Karel Faustin Klostermann im Kloster des Frauenordens *Congregatio Jesu* auf Schloss Steken in Südböhmen und wurde in Pilsen beigesetzt.

Die Landschaft und die Menschen des Böhmerwaldes sind das Thema Klostermanns. Als realistisch-naturalistischer Erzähler schildert er drastisch und ohne Pathos die raue Lebenswirklichkeit der Bewohner des Böhmerwaldes. Doch wird auch immer wieder sein feiner Humor in seinen Werken spürbar.

Quelle: Wikipedia

## Wolf Wondratschek

\* 14. August 1943 in Rudolstadt

Wolf Wondratschek ist ein deutscher Schriftsteller.



VVOLF VVONDRATSCHEK  
 SCRIPTOR ATQVE POETA INCLYTVS  
 ANTE QVATER VIGINTI ANNOS  
 XIX KAL. SEPTEMBRES NATVS

MMXXIII

Der Schriftsteller und berühmte Dichter  
 WOLF WOND RATSCHEK  
 feiert am 14. August seinen 80. Geburtstag.

Der Autor Wolf Wondratschek begann als Verfasser von Gedichten und Kurztexten, die seine radikale Opposition zu herkömmlicher Lyrik und Prosa dokumentieren. In den 1970er-Jahren veröffentlichte er eine Reihe von Gedichtbänden, mit denen er außerhalb des Verlagsbuchhandels auf dem Versandweg außerordentlich große Auflagen erzielte (*Chuck's Zimmer*: über 300.000 Exemplare; die darin enthaltenen Liedtexte etablierten ihn als einen der wenigen deutschsprachigen „Rock-Poeten“. Seit den 1980er-Jahren veröffentlicht Wondratschek neben seiner Lyrik auch wieder vermehrt Prosa.

*Quelle: Wikipedia*

**Jan Brzechwa**  
(eigentlich Jan Wiktor Lesman)

\* 15. August 1898 in Schmerynka, Podolien, heute Ukraine  
† 2. Juli 1966 in Warschau, Polen

Jan Brzechwa war ein polnischer Poet, Kinderliteraturautor und Übersetzer russischer Literatur; darunter der Werke von Sergei Jessenin, Wladimir Majakowski und Alexander Puschkin. Zugleich arbeitete er als Rechtsanwalt für die Organisation der Autoren und Komponisten ZAiKS, für die er sich mit den Fragen des Urheberrechts beschäftigte.



QVI NQVI ES VIGINTI QVINQVE ANNIS ANTE  
XVIII KAL. SEPTEMBRES NATVS  
IOANNES BRZEC HVVA  
POETA PRAECIPVVS  
INTERPRES IN SIGNIS E LINGVA RVSSICA  
ATQVE VIR IVRISPRVDENTIAE PERITVS

MMXXIII

Am 15. August vor 125 Jahren wurde JAN BRZEC HWA geboren.  
Er war ein vorzüglicher Dichter,  
ausgezeichneter Übersetzer aus dem Russischen  
und auch ein Jurist.

Eines seiner Gedichte beginnt mit dem Satz „W Szczebrzeszynie chrząszcz brzmi w trzcinie“  
(etwa: In Szczebrzeszyn brummt ein Käfer im Schilfrohr.)

*Hörprobe:* [The most difficult Polish poem - Chrząszcz \(J. Brzechwa\) - YouTube](#)



## Joan Eardley

18. Mai 1921

16. August 1963



IOANNA EARDLEY  
 BONA PICTRIX SCOTICA  
 ANTE SEXAGINTA ANNOS  
 XVII KAL. SEPTEMBRES  
 EX VITA EGRESSA  
 AETATIS XLII

MMXXIII

Am 16. August vor 60 Jahren starb die große schottische Malerin  
 JOAN EARDLEY im Alter von 42 Jahren.

Joan Eardley was one of the most original and admired British artists of her generation. A painter's painter, who created a unique visual language which has been much emulated, Eardley's raw, yet tender, depictions of children in 1950s Glasgow contrast vividly with her loose and expressive landscapes painted around Catterline in the north east of Scotland.

Eardley's star burned brightly in the post-war years before she died at the age of 42 in 1963. Almost 60 years later, her work is being constantly re-evaluated and rediscovered by new generations of fans.

Quelle: <https://joaneardley.com>

[Joan Eardley | A Sense of Place - YouTube](#) (7:27 min.)

[Joan Eardley - British artist \(1921 - 1963\) - YouTube](#) (5:08 min.)

## Roman Polański

\* 18. August 1933 als Raymond Thierry Liebling in Paris

Roman Polański ist ein französisch-polnischer Filmregisseur, Filmproduzent, Drehbuchautor und Schauspieler. Zu seinen bekanntesten Filmen gehören die Horrorfilme *Tanz der Vampire* (1967), in dem er selbst die Rolle des Alfred übernahm, und *Rosemaries Baby* (1968), der Kriminalfilm *Chinatown* (1974) sowie der Holocaustfilm *Der Pianist* (2002), der mit der *Goldenen Palme von Cannes* sowie dem *Oscar* für die beste Regie ausgezeichnet wurde.



ANTE TER TRIGINTA ANNOS LV TETIAE NATVS  
 ROMANVS POLANSKI  
 DISPOSITOR PELLICVLAE PRAECIPVVS  
 ATQVE HISTRIO PROBVS  
 VIVAT VIR NONAGENARIVS

MMXXIII

Der vorzügliche Filmregisseur und tüchtige Schauspieler  
 ROMAN POLAŃSKI wurde vor 90 Jahren in Paris geboren.

Alles Gute zum 90. Geburtstag.

„Geächtet und geachtet“: Polańskis Leistungen als Regisseur sind unbestritten. Sein Leben verlief ziemlich turbulent: Er musste mehrere schwere Schicksalsschläge erleiden (Ermordung seiner schwangeren Mutter und Ermordung seiner hochschwangeren Frau), andererseits wurde ihm aber auch wiederholt sexueller Missbrauch vorgeworfen.

## Pius VII.

\* 14. August 1742 in Cesena, als Graf Luigi Barnaba Niccolò Maria Chiaramonti  
 † 20. August 1823 in Rom

Papst Pius VII. war von 1800 bis zu seinem Tod Papst. Am 15. August 2007 erhielt er im Beisein von Papst Benedikt XVI. im Zuge des Seligsprechungsprozesses den Titel *Ehrwürdiger Diener Gottes*.



QVATER QVINQVAGINTA ANNIS ANTE  
 DIE SANCTI BERNARDI CLARAEVALLENSIS OBIT  
 PIVS VII PONTIFEX NOBILIS  
 DEI SERVVS VENERABILIS

MMXXIII

## QUID RESPONDEAT TOBIAS CHRONOGRAPHUS EDUARDO CALCULATORI CHRONOGRAMMATOCRITICO

*Eduardus Crane Pantocrator Gregis Latine Scribentium Toruniani, chronogramma XIV AUXILIATORUM Rösslerianum his verbis vituperat:*

„DE ERRORIBUS INGENIOSISSIMIS. - Oblitus sum fontem textus referre: Nicolai Gross el282.pdf apud Albini Ephemeridem : <http://ephemerisnuntii.eu/leonina.php> pagina 31...

Scripturientibus: Iterum legi et recensui Tobiae Roessler chronogrammata et omnia sarta tecta inveni, summa numeralium annum 2023 attingens ferme usque ad finem ubi sequentes summas calculavi:

DIE 14 NOTHELPER, GEDENKTAG 8. AUGUST

[Quattuordecim auxiliores / -trices, dies memoria dignus octavus mensis Augusti]

ACHAT IVS CENTVR IO A HOS T I BVS F IDE I TVRP I BVS VI NECATVS E S T  
AVXILIATOR CONT RA PAVORE S MORT I S (2015)

AEGIDIVS NEGOT IATOR NOB ILI S VIXI T E T ANACHORE TA EVAS I T  
AVXILIATOR CONT RA P E R ICVLVM IGNI S E T INSANIAS (2015)

BARBARA VI RGO BELLA SAP IDAQVE IN TVRR I CAP T IVA E S T  
PAT RONA AVR I F ICVM E T AVXILIAT R IX CONT RA F E BRE S (2015)

BLAS IVS LEONI BVS ATQVE T IGR I BVS TVI TVS IN ANT EO LATVI T  
AVXILIATOR CONT RA DOLORE S FAVCIVM (2020)

CHR I S TOPHORVS PROCE RAE S TATVRAE E T VVLTV T E RR I B ILI FVI T  
PAT RONVS PORT I TORVM E T AVXILIATOR CONT RA AR IDI TAT E S (2015)

CYR IACVS OPE RAR IVS S E RVILI S LABORAVI T E T AEGROTOS IVVAVI T  
AVXILIATOR CONT RA DAEMONE S ATQVE T ENTAT IONE S (2017)

DIONYS IVS E P I SCOPVS VENE RAB ILI S LVT E T IAE NECATVS E S T  
AVXILIATOR CONT RA VEXAT IONE S ANIMAE (2017)

E RASMVS P IVS E P I SCOPVS P ICE SVLPVREQVE TORQVE TVS E S T  
AVXILIATOR CONT RA DOLORE S PARTVS (2015)

EVS TACHIVS VT I IOB ICT I BVS FORTVNAE CRE BR I S PROBATVS E S T



PAT RONVS SALVTAR IORVM E T ADIVTOR CONT RA NEGOT IA VI TAE (2015)

GEORGIVS FORT I S VICTOR DRACONI S HERR I B ILI S VI RGINI AF FVI T  
PAT RONVS EQVI TVM E T AVXILIATOR CONT RA P E S T ILENT IAS (2016)

KATHAR INA VI RGO CHR I S T IANA DVLCI S DOCTAQVE FVI T  
AVXILIAT R IX CONT RA AEGR I TVDINE S LINGVAE (2117)

MARGARE TA VI RGO INSONS AB IVDICI BVS FALS I S CVP I TA E S T  
AVXILIAT R IX CONT RA VVLNE RA (2015)

PANTALEON INCONCVS SVS VI R FLAGELLATVS ATQVE CRVCIATVS E S T  
AVXILIATOR CONT RA PLAGAS LOCVS TARVM (2015)

VI TVS NVT R ICE CONVE R SVS E S T  
AVXILIATOR CONT RA DOLORE S AVR IVM E T FVLGVRA (2015)

M M X X I I I

"

ubi animadvertimus nulla ex quattuordecim aequari 2023, tredecim minus et unum longe maius. Tum omnia una addidi quae summam reddidit 28322. Sed hic numerus a quattuordecim divisus ... quot nobis reddit, o classis mea? Valete“.

*Tobias Rößler artifex ipse respondit haec quae sequuntur:*

Lieber Dr. Groß,

danke für die Nachricht. Ed Crane schreibt: „ubi animadvertimus nulla ex quattuordecim aequari 2023, tredecim minus et unum longe maius. Tum omnia una addidi quae summam reddidit 28322. Sed hic numerus a quattuordecim divisus ... quot nobis reddit, o classis mea?“ Ich glaube nicht, dass er mir mit diesen Worten einen Rechen- bzw. Zählfehler unterstellen wollte, weil es nämlich hier gar keinen Fehler gibt. **Wer der Aufforderung von Ed Crane folgt und sich tatsächlich die Mühe macht, diese Division auszurechnen, wird zu folgendem Ergebnis kommen:  $28322 : 14 = 2023$ . Die Mindestbedingung für die Korrektheit eines 14fach-Chronogramms ist somit erfüllt.**

Ed Crane hatte zu JEDEM/JEDER Heiligen die entsprechende Zahl notiert, aber aus der Tatsache, dass zehn der 14 Heiligen den Zählwert „2015“ aufweisen, leider gar nichts geschlussfolgert. Hätte man mir diese Daten vorgelegt, so wäre mir sofort klar gewesen, dass dieses Nothelfer-14fach-Chronogramm ursprünglich 2015 geschrieben worden ist und acht Jahre später „minimal-invasiv“ aktualisiert wurde. Dafür musste das Multiplex-Chronogramm von 2015 (Gesamtsumme 28.210) für 2023 (Gesamtsumme 28.322) um „112“ erweitert werden (denn  $8 \times 14 = 112$ ). Ich hätte nun mit großem Aufwand bei jeder einzelnen Person VIII hinzufügen können, aber ich habe einen anderen Weg gewählt, indem ich an dem alten Chronogramm möglichst wenig verändert habe:

1. Das bei zwei Heiligen vorkommende „Y“ wurde – im Gegensatz zu 2015 – nun gezählt (das ergibt jeweils 2017)
2. Der heilige Georg erhielt ein „fortIs“ (das ergibt 2016)
3. Bei „Blasius“ wurde „et“ durch „atqVe“ ersetzt (das ergibt 2020).
4. Der Rest ( $112 - 2 - 2 - 1 - 5 = 102$ ) wurde zur heiligen Katharina hinzugefügt ( $2015 + 102 = 2117$ ).

Schade, dass Ed Crane das nicht bemerkt bzw. nicht erwähnt hat.

Ich hatte 2015 das „Nothelfer“-Multiplex-Chronogramm (das damals gleichzeitig auch noch aus 14 einzelnen 2015-Chronogrammen bestand) dem Pater Herbert geschickt. Vor einiger Zeit ist mir das wieder eingefallen, und ich wollte dem ehrenwerten Pater eine kleine Freude machen und habe das alte Multiplex-Chronogramm für 2023 modifiziert. Es schadet ja nichts, wieder einmal alle 14 Nothelfer zu rekapitulieren. Denn wer kennt schon „Achatius“, „Cyriacus“ oder „Pantaleon“. (Und bei „Erasmus“ denkt man doch unwillkürlich vor allem an den großen Erzhumanisten – und nicht an einen Heiligen.) Die eben genannten Heiligen vergisst man nur allzu schnell wieder – im Gegensatz etwa zu einem „Georg“ oder „Christophorus“.

Mit herzlichen Grüßen  
Tobias Rößler

*HIS VERBIS RESPONDIT TOBIAS ARTIFEX EDUARDO CALCULATORI.*

# AMOR

**Fabula criminalis, quam scripsit *Ferdinand von Schirach*,  
Latinê reddidit *Leo Latinus***



## **Ferdinand von Schirach (a.2009)**

Defensor poenalis et auctor fabularum criminalium

cfr De auctore: Epistula Leonina 53, p.7-17; oratio auctoris: 54, p.4-10; Praefatio/ De Faehnero: 55, p.4-15;  
Festum populare: 78, p.18-27; Felicitas: 81,12-24; DNA: 90,11-15; Vir alter: 158,8-20; Lydia: 159,20-18;  
Violoncellum: 223,11-26. Puellae: 281,31-35.

Illa somniculosa obdormiverat; illius caput iacebat in amici femore. Tempus aestatis postmeridianum erat, fenestrae erant apertae, bene se habebat. Ex duobus annis iuvenes inter se noverant, ambo studebant oeconomiae administrativae cognoscendae, easdem audiebant scholas academicas. Puella scivit se ab amico amari.

Patricius amicae dorsum permulcebat. Liber recitandus eum taedium temporis afferebat, nam *Hermannum Hesse* non diligebat, eiusque carmina non recitasset, nisi amica hoc voluisset. Patricius puellae cutem nudam contemplantur, eius columnam vertebralem scapulasque, et digitis earum formas delineabat. In mensula nocturna positus erat culter Helveticus; quo dissecuerat mâlum, quod comederant. Iuvenis libro seposito sumpsit cultrum. Puella oculis semiapertis vidit illum penem arrigere. Eadem subrisit, nam modo demum concubuerant. Patricius laminam explicuit. Illa caput sustulit versus penem. Tum sensit dorsum suum insecuri. Puella clamavit, manum amici ad latus pepulit, prosiluit. Culter devolvavit ad pavementum, puella sensit sanguinem defluere per dorsum suum. Patricius eam aspexit perturbatus, puella ei alapam duxit, vestimenta sua de sellâ abripuit et in balneum cucurrit. Patricii habitaculum studii causâ conductum situm erat in pedeplanis aedificii vetusti. Puella rapidê vestimenta sua induit, ex fenestrâ nixa quam celerrimê aufûgit.

Quattuor septimanis post astynomia interrogationis causâ epistolam misit ad inscriptionem quam magistratui indicaverat. Quia Patricius – ut multi studentes – non annuntiaverat novam inscriptionem cursualem, epistula non allata est Bonnam, sed in thecam epistularem parentium. Mater Patricii cum putaret eandem esse scidulam poenalem aperuit. Vespere primo parentes inter se diu disputaverunt, quidnam falso fecissent, deinde pater telephonavit cum Patricio. Postridie mater eius cum secretariatu meo pacta est colloquium mecum faciendum, et septimanâ post familia consedit in grapheo meo.

Parentes fuerunt homines frugales, pater director aedificandi, staturâ compactâ, menti expers, bracchiis et cruribus brevibus instructus, mater quinquagesimum annum aetatis suae assecutura, quondam fuerat secretaria, imperiosa, agilissima. Patricius non congruebat cum parentibus suis. Qui erat puer insolito speciosus, manibus angustis, oculis obscurê fuscis. Patricius narravit, quid factum esset. Se cum Nicolaide ex duobus annis coniunctum esse, cum eâ numquam rixatum esse. Mater Patricii sermonem abrumpebat alterâ quâque sententiâ incohatâ. Deinde eadem ipsa dixit consentaneum esse, ut nihil esset factum nisi incommodum. Patricius autem dixit se dolere, nam se amare hanc puellam, ideoque se velle excusare, sed non iam posse illam accedere.

Tum eius mater aliquanto nimis magnâ voce locuta est: »Hoc certê melius est. Nolo te eam revidere. Ceterum proximo anno sic quoque transibis ad Universitatem Sanctogallensem.« Pater autem pauca tantum locutus est. Colloquio exeunte rogavit, num res Patricio evasura esset male.

Cogitavi hoc mandatum parvum esse et celeriter posse perfici. Res iam ab astynomiâ missa erat ad procurationem publicam. Telephonavi cum procuratrice superiore, quae casum pertractabat. Cui mandata erat provincia permagna complectens *casûs violentiae domesticae*. Tales erant aliquot milleni casûs omni anno, quorum origines magnâ ex parte erant alcohol et aemulatio et litigatio parentium de liberis facta. Quae procuratrix mihi promisit se âcta celeriter inspecturam esse.

Duobus diebus post computatro meo infuerunt paginae vix quadraginta. Photographemate dorsi puellae apparuit sectura 15cm longa, margines vulneris laeves; cognovi hoc vulnus bene sanatum iri, nullam relictum iri cicatricem. At pro certo habui hanc secturam non factam esse incommodo fortuito. Nam scivi cultro decidente effici vulnera alia.

Itaque familiam rogavi, ut iterum mecum colloqueretur, sed quia res non urgebat, pactus sum colloquium demum factum iri post tres septimanas.

Cum quinque septimanis post vespere diei Iovis grapheum clauderem et lumen in scali<sup>1</sup> exstinguerem, Patricius ibi sedebat in gradibus. Dixi, ut intraret, sed ille capite abnuvit. Qui oculis erat torpidis, inter digitos tenebat sigarellum non accensum. In grapheum reversus vas cinerarium apportavi et Patricio dedi ignitabulum. Deinde ad eum assedi. Tum tinnivit mutamen luminis temporale<sup>2</sup>, et nos fumantes sedimus in tenebris.

1 scālāre, -is n. i.q. orig. *Treppenhaus*; angl. *staircase*. CIL 6,10233. pl. scālāria, -ium n. VITR.5,6,3; CIL 6,29982.

2 \*mūtāmen lūminis temporāle orig. *Zeitschaltuhr für das Licht*.



»Patrici, quid faciam tui causâ?« interrogavi aliquanto post.  
 »Difficile est«, dixit.  
 »Semper difficile est«, dixit et exspectavi.  
 »Hoc usque nunc nemini narravi.«  
 »Morare, hic locus bellulus est.« Reverâ fuit locus frigidus et incommodus.  
 »Amo Nicolaidem tantopere, quantopere neminem umquam amavi. At eadem non iam mecum loquitur. Omnia conatus sum. Epistulam etiam scripsi, sed Nicolais non respondit. Eius sophophonum est extinctum. Eius amica optima me secum telephonante auscultabulum deposuit.«  
 »Talia fiunt.«  
 »Quid faciam?«  
 »Res poenalis non est problema insolubile. Non in carcerem inicieris. Lêgi enim âcta tua...«  
 »Verumne?«  
 »Ut apertê dicam: Non quadrat quod narrasti. Res non est incommodo effecta.«  
 Patricius cessabat. Novum sigarellum accendit. »Rectê dicis«, inquit, »reverâ non fuit incommodum. Nescio, num tibi dicam, quid reverâ factum sit.«  
 Tum ego: »Patroni« inquam, officio tacendi obligantur. Omnia, quae dices, manebunt inter nos. Nemo nisi tu decernet, num et quocum de iisdem rebus mihi liceat loqui. Etiam parentes tui nihil accipient de hâc colloquio.«  
 »Valetne hoc etiam quoad astynomiam?«  
 »Praecipuê quoad astynomiam et ad ceteros magistratûs persecutionis poenalis. Debeo tacere, ne ipse fiam poenalis.«  
 Tum ille: »Tamen hanc rem narrare non possum.«  
 Subito mihi vênit aliquid in mentem: »In grapheo meo est quidam patronus, cui est filia quinque annos nata. Nuper eadem alteri parvulae aliquid narravit. Ambo in pavimento sedebant. Illa cum sit parvula valdê agilis, loqui non desinens etiam etiamque propius allabebatur ad amicam suam. Fabulando tam vehementer excitata erat, ut mox paene in alterâ puellâ consideret. Non desinebat blaterare, ut denique non iam pateretur: Puella beatissima amicam amplexa est et animo inflammato eius collum momordit.«  
 Animadverti Patricium his auditis muginari. Dubitando vexabatur. Denique dixit:  
 »Cupivi illam comedere.«  
 »Tuamne amicam?«  
 »Illam.«  
 »Quare hoc facere cupivisti?«  
 »Tu illam ignoras, utinam semel vidisses eius dorsum. Eius scapulae in acutum desinunt, eius cutis est solida atque alba. Mea autem cutis est porosa, paene foraminosa, sed eius cutis est densa atque laevis. Cui insiti sunt flavi capilli pusilli.«  
 Conatus sum in memoriam meam revocare imaginem dorsi puellae, quae infuit documentis.  
 Interrogavi: »Cupisne hanc rem primo?«.

»Primo. Semel antea, sed illo tempore non tam vehementer hoc cupiveram. Hoc factum erat in feriis, ubi fueramus in Thailandiâ in litore cubantes. Illo tempore Nicolaidem paululo vehementius momorderam.«

»Quomodo hac vice voluisti hoc facere?«

»Nescio. Puto me nihil voluisse nisi frustulum exsecare.«

»Voluistine iam aliquando alium comedere?«

»Nolui, scilicet. Agitur de illâ, de nemine nisi de illâ.« Patricius sigarellum suum assuxit. Sumne mente captus? At non sum talis qualis fuit iste *Hannibal Lecter*. Nonne?« Timuit se ipsum.

»Non, talis non es. Non sum medicus, sed puto te amore Nicolaidis captum usque ad insaniam progressum esse. Tu ipse hoc scis, Patrici, ipse hoc dicis. Cogito te valdê insanum esse. Oportet a medico cureris. Necnon oportet hoc fiat celeriter.«

Varia sunt genera anthropophagiae.

Homines comedunt homines famis causâ aut causis ritualibus aut propter personalitatis perturbationes graves, quae saepe notâ sexuali sunt insignes. Patricius credidit illum *Hannibalem Lecterum*<sup>1</sup> excogitatum esse a scaenothetâ<sup>2</sup> aquifolietensi<sup>3</sup>, sed reverâ tales homines exstant post hominum memoriam. In Stiriâ regione Austriae *Paulus Reisinger* saeculo duodevicesimo comêdit »sex corda micantia virginum« - credidit, si novem talium cordum comedisset, se posse fieri invisibilem. *Petrus Kürten* sanguinem bibebat hominum a se interfectorum, *Ioachimus Kroll* annis septuagenariis minimum octo homines comêdit, quos necaverat, et *Bernhardus Oehme* a.1948 comêdit propriam sororem.

In historiâ iuris inveniuntur exempla huiusmodi numerosa, quae animo non possunt confingi. *Carolus Denke* a.1924 cum comprehenderetur, in eius culinâ inventae sunt quaelibet reliquiae hominum: frusta carnis aceto condita, dolium ossibus plenum, ollae pinguamine liquefacto completae necnon saccus, cui inditi erant aliquot centum dentes humani. Carolus gerebat habenas bracarum, quae constabant ex laciniis cutis humanae, in quibus inventae sunt papillae pectorales. Quot homines a Carolo interfecti sint, adhuc est incognitum.

»Patricii, audivistine aliquando de viro Iapone, cui nomen est *Issei Sagawa*?«

»Numquam. Quis est ille?«

»*Sagawa* hodie est aestimator cauponarum criticus Tochiensis.«

»Quid is ad me?«

»Îdem vir a.1981 Parisiis amicam suam comedit. Dixit se hanc puellam nimium amavisse.«

»Totamne illam comêdit?«

1 **Hannibal Lecter** i.q. persona praecipua, psychiater et homicida et anthropophagus, cuiusdam fabulae criminali-horrificae, quae ad cinema redacta est. Istius fabulae auctor est **Thomas Harris**; titulus est **The Silence of the lambs**, i.e. *Silentium agnorum*, edita est a.1988; scaenothetes cinematensis (quod a.1991 publicatum est) fuit **Jonathan Demme**. Personam praecipuam gessit **Antonius Hopkins**, histrio Britannus ingeniosus.

2 \***scaenothetês**, -ae m. *theod. Regisseur*; angl. *director (of a movie)*; fr. *réalisateur*.

3 \***Aquifoliêtum**, -i n. *Hollywood*. adi. \***aquifoliêtênsis**, -a, -um

»Saltim nonnulla frustra.«

Tum Patricius voce vibrante: »Dixitne«, inquit, »quomodo sapuisset?«

»Non iam satis accuratê scio. Puto illum dixisse amicam sapuisse piscem thynnum.«

»Ah...«

»Medico illo tempore cogoverunt *Sagawam* laborare ex gravissimâ perturbatione psychoticiâ.«

»Num ego quoque tali morbo laboro?«

»Haud certo scio, sed volo te ire ad medicum.« Lumen accendi. »Exspecta paulisper, afferam numerum ministrationis necessitatis psychiatricae. Si vis, nunc tecum illuc vehar.«

»Nolo«, sagte er. »Primo deliberem.«

»Non possum te cogere, ut hoc facias. Sed rogo te, ut cras bene mâne venias in grapheum meum. Tecum ibo ad psychiatrum probum. Assentirisne?«

Patricius cessavit. Deinde dixit se venturum esse, et tum surreximus. Tum Patricius: »Licetne etiam aliquid rogare?«, et nunc rogavit voce submissâ: »Quid accidet, nisi psychiatrum adiero?«

»Timeo« inquam, »ne morbus tuus ingravescat«. Ianuam graphei iterum aperui, ut quaererem numerum telephonicum et reponerem vas cinerarium. Cum in scalare redirem, Patricius evaserat.

Postridie îdem non vênit. Post septimanam a matre eius accepi epistulam et assignationem. Eadem a me munus mandatum abstulit, et quia litteris eius etiam Patricius subscripserat, ablatio muneris erat rata. Telephonaui ad Patricium, sed is noluit mecum loqui. Denique munus defendendi deposui.

Duobus annis postea Turici acroasin feci. In pausâ me allocutus est quidam defensor poenalis maior natus Sanctogallensis. Qui nomine Patricii allato ex me quaesivit, num ille fuisset mandator mei. Patricium hoc aliquatenus dixisse. Rogavi, quidnam accidisset. Tum collega: »Patricius« inquit, »ante duos menses copam necavit, sed causa facinoris usque nunc est prorsus incognita.«

## FABULAM CRIMINALEM

**FERDINANDI DE SCHIRACH,**

**C.T. "Liebe"**


*quae invenitur in opere, c.t. "Verbrechen",  
11.ed., Monaci/ Turici a.2011, p.177-184,*

IN LATINUM CONVERTIT

LEO LATINUS

## FABELLA GRIMMIANA

### 114. De vestificio prudente.



Aliquando fuit principissa ingentis superbiae; quae, quandocumque veniebat petitor nuptiarum, eidem aliquid proponebat divinandum, et si iuvenis divinare nesciverat, dimittebatur irrisus. Haec puella nobilis curavit enuntiandum, quilibet vir adveniret, si rem divinavisset, se eidem nupturam esse. Denique tres vestifices sunt congregati, quorum duo natu maiores senserunt se, quâ essent artis suae suendi peritiâ, iam multa bona et decora consuissent, ideoque dubium non esset, quin etiam hac in re victoriam essent parituri; tertius autem nemo fuit nisi inutilis iuenculus temerarius, qui, quamvis artem suam parum calleret, sensit fortem Fortunam adiuturam esse. Tum duo alii hunc iuenculum sic allocuti sunt: „*Tu quidem domi manê, nam, quâ es*



*ingenii parvitate, non longê progredieris.*“ At vestificulus affirmavit se hanc rem, cum sibi inculcasset, certê assequi posse, et profectus est summâ cum confidentiâ sui. Tum omnes tres vestifices apud principissam nomina sua dederunt tentamini participando: nunc advenisse viros aptos, qui essent ingenio subtili, quo scirent semper res acu tangere.

Tum principissa: „*Capilli*“ inquit, „*in capite mihi sunt duorum generum - quibus iidem sunt coloribus?*“ Primus vestifex: „*Si res est tantula*“ inquit, „*certê sunt colores niger et albus, tamquam carvum et sal*“. At principissa: „*Falso*“ inquit „*divinasti. Respondeat vir alter.*“ Deinde dixit alter: „*Nisi colores niger et albus, sunt fuscus et ruber, quibus est patris mei vestis sollemnis.*“ At principissa: „*Falso*“ inquit, „*divinasti. Respondeat tertius, quo aspecto scio eum certê scire divinandum.*“ Tum vestificulus processit et dixit: „*Principissa in capite habet capillum argenteum et aureum, et hi sunt colores duo.*“ His auditis principissa expalluit, et terrore paene decidit, nam vestificulus rem acu tetigerat, quamquam ipsa putaverat nullum in mundo hominem hoc divinaturum esse. Cum resipuisset: „*Re divinâtâ*“ inquit „*me nondum accepisti, nam unum tibi restat faciendum; infra in stabulo iacet ursus, apud istum debebis pernoctare; si cras surrexero et videro te adhuc vivere, licebit tibi me in matrimonium ducere.*“ Principissa autem hac re postulandâ voluit a vestificio defungi; nam ursus usque nunc neminem umquam vivum reliquerat, in quem brancis suis invectus erat. At vestificulus minimê deterritus, sed prorsus gaudens: „*Etiam hoc*“ inquit „*perficiam*“.

Cum advesperasceret, vestificulus adductus est ad ursum; ursus autem erat statim in eum invecturus, ut medullitus salutaret brancâ suâ. Tum vestificulus: „*Lenius*“ inquit, „*agas lenius; ego faciam ut quiescas*“. Deinde perquam lentê, quasi nullo modo sollicitaretur, iuglandes ex sacculo exêmit, morsu aperuit nucleosque comêdit. Cum autem ursus hoc videret, ipse cupivit comedere iuglandes. Vestificulus autem manu sacculo inditâ urso porrexit volam; sed non erat vola nucum, sed lapidum. Quos ursus ori indidit, sed mordendo nullum potuit aperire, quantopere mordebat. „*Vae mihi!*“ cogitavit, „*Quam stultus truncus sum! Ne nuces quidem scio mordendo aperire,*“ et dixit vestificio: „*Admordeas, quaeso, nuces, ut aperiantur.*“ Tum vestificulus: „*Tune*“ inquit, „*quam ineptus es? Quamquam tanto rostro es, nescis admordere tantulam nucem.*“ Deinde vir lapidibus sumptis celeriter eorum loco iuglandem ori indidit et crepitu facto nux diffracta est. Tum ursus: „*Hoc*“ inquit, „*iterum conabor. Cum modo aspexerim, puto nunc fieri posse, ut mihi ipsi contingat.*“ Tum vestificulus ei iterum dedit lapides, et ursus summis viribus momordit: Sed facile fingas animo, eum lapides non aperuisse. His factis vestificulus violinam exêmit vesti suppositam et cantilenam cecinit. Hanc audiens ursus non potuit, quin saltaret, et cum paulisper saltasset, hoc ei tam bene placuit, ut vestificulum rogaret: „*Audi, estne difficile fidibus canere?*“ „*Nequaquam, vide, manu sinistrâ digitos impono, dextrâ arcum huc illuc perstringere, hoc sonat hilariter, hopsasa, vivallalera!*“ Tum ursus: „*Visne me docere? Ego quoque velim tam bene fidibus canere, ut saltare possim quandocumque cupio.*“ Deinde vestificulus: „*Libentissimê*“ inquit, „*te docebo, si discere vis: At*

*primo monstra mihi brancas tuas, quae sunt tantae longitudinis, ut ungues sint paullulo recidendi.*“



Tum allatum est retinaculum cochlearum, et urso brancae sunt imponendae, vestificulus easdem cochleis vertendis affixit et: „Nunc“ inquit, „*expecta, dum afferam resectorium*“, nullo modo curavit fremitum ursi impatientis, incubuit fasci stramenti, quod erat in angulo positum, et obdormivit.

Principissa autem, cum vespere ursum audiret tam vehementer frementem, putavit eundem fremere gaudio elatum, et vestificem efflasse iam animam suam. Mâne ea surrexit quietê hilariterque; at stabulo aspecto animadvertit vestificulum perquam vegetum ante idem stare et esse vivacissimum. Nunc principissae non iam licuit contradicere, quia standum erat promisso publico. Itaque rex curavit currum arcessendum, quo filiae unâ cum vestificulo vehendum erat ad ecclesiam, ut connubio coniungerentur. Sponsa sponsusque cum inscendissent, ambo vestifices alii, qui malevoli vestificulo fortunato inviderent, in stabulum inierunt, et cochleis retinaculi solutis ursum liberaverunt; qui nunc irâ incensissimus currum rapidissimê persecutus est. Principissa autem cum audiret illum frementem, timore correpta: „*Vae nobis*“ inquit, „*ursus nos persequitur te capturus.*“ At vestificulus, sine mora, corpus suum invertit et crura ex fenestra protendens vocavit: „*Viden' retinaculum? Nisi abieris, iterum te cochleis affigam.*“ Hôc conspecto ursus se convertit et aufugit. Sed vestificulus noster quietê vectus est in ecclesiam, et cum principissâ est connubio coniunctus et unâ cum eâ vitam degit laetam et tam hilarem quam alauda in ericeto cantans. Qui hoc non credit, is debet solvere thalerum.

**FABELLAM GRIMMIANAM**

**C.T.**

**»Das kluge Schneiderlein«**

**IN LATINUM CONVERTIT**

**LEO LATINUS**

# MYTHI GRAECORUM

## OEDIPUS (2): Aenigma Sphingis & Iocasta



Haud diu post ante portas Thebarum urbis Thebarum apparuit Sphinx, monstrum alatum, quod fuit in parte anteriore forma virginis, posteriore leonis. Sphinx fuit filia Typhonis et Echidnae, nymphae forma serpentina instructae, quae fuit mater fecunda multorum monstrorum et soror Cerberi canis infernalis, Hydrae Leneae et Chimaerae ignivomae. Istud monstrum se collocaverat in saxo, ex quo incolis Thebarum proponebat varia aenigmata, quae didicerat ex Musis.





Quandocumque aenigma non erat solutum, omnem Thebanum, qui susceperat idem solvendum, corripiebat et dilaniabat et devorabat. Isto monstro afflicta est urbs modo lugens de rege suo, qui – nemo scivit, a quo – iter faciens occisus erat et cuius loco Creon, frater reginae Iocastae, imperium occupaverat. Denique accidit, ut Creontis filius proprius, qui, quia aenigma sibi a Sphinge propositum non solverat, ab illa correptus et devoratus erat. His angustiis Creon inductus est, ut promulgaret eum virum, qui urbem liberaret ab ista necatrice, accepturum esse et regnum et sororem suam Iocastam in matrimonium ducendam. Cum autem haec promulgatio fiebat, Oedipus baculo migratorio suo nixus urbem Thebarum intravit. Qui et periculo et praemio excitatus est, praesertim cum propter vaticinium ei imminens vitam suam haud magni aestimaret. Itaque se contulit ad illud saxum, ubi Sphinx sedem suam habebat, ibidemque eamque rogavit, ut sibi aenigma proponeret. Monstrum in animo habuit audaci viro peregrino proponere aenigma sat insolubile; eius dictum erat hoc quod sequitur: „Mane hoc animal est quadrupes, meridie bipes, vespere tripes. Ex omnibus animalibus solum hoc mutat pedum numerum; at eo tempore, quo movet pedes plerosque, membrorum vis atque velocitas ei sunt minimae.“ Hôc aenigmate audito Oedipus subrisit, quia idem nequaquam sibi visum est difficile.



### ECCE OEDIPUS ET IOCASTA

Tum „Aenigma tuum” inquit, “est homo: qui mane vitae suae, dum est infans infirmus atque imbecillus, it duobus pedibus duobusque manibus; cum corroboravit, meridie vitae suae it duobus tantum pedibus; denique vesperum vitae cum advenerit, fulcimento indigens adiumento utitur baculo, ut sit sibi pes tertius.” Nunc aenigma feliciter erat solutum, et Sphinx pudore atque desperatione affecta se de saxo praecipitavit, ut moreretur. Oedipus autem mercedes accepit et regnum Thebanum et connubium cum viduâ ineundum, quae fuit eius mater propria.

Iocasta autem ei peperit quattuor liberos, primo geminos Eteoclem et Polynicem, deinde duas filias, maiorem natu Antigonam, minorem Ismenam.

At hi liberi quaterni simul erant eius liberi et germani. ---

**MYTHUM GRAECUM**  
**OEDIPODIS**

**SERMONE THEODISCO NARRAVIT**  
**GUSTAV SCHWAB**

**TOGA ORNAVIT**  
**LEO LATINUS**



## DE CAROLO CHRISTIANO A LANGSDORF (1757-1834)



**Karl Christian von Langsdorf**

**Carolus Christianus Langsdorf(ius)**, ex a.1806 *von Langsdorf* (etiam *von Langsdorff*; natus est d.18. m.Maii a.1757 in oppido *Nauheim*; mortuus a.10. m.Iun. a.1834 *Heidelbergae*) fuit Germanus mathematicus, geologus, physicus, technologus.

### **Origo.**

Langsdorfius d.18. m.Maii a.1757 natus est filius archivarii salinarum et reddituarii<sup>1</sup> *Comitatûs Hassiae et Casselliae* (fodinae salinae *Nauhemiensis*) *Georgii Melchioris Langsdorff(ii)* (qui natus erat d.25. m.Febr. a.1713 *Wetzlariae*; mortuus d.19. Apr. a.1767) et *Mariae Margarethae Koch* (vidua *Mölleri*). Caroli Christiani frater geminus vocabatur *Daniel Isaak*. *Iohannes Vilelmus Langsdorfius* (1745–1827) fuit Caroli Christiani frater.

### **Vita.**

Abiturio *Gymnasii Idsteinensis* a.1773 superato ab a.1774 usque ad autumnum a.1776 *Gottingae* studuit philosophiae, iurisprudentiae, mathesi e.a. cognoscendis, apud *Abrahamum Gotthelfium Kästner* et postea usque ad a.1777 in *Universitate Gissensi*. Circa Festum Paschale a.1777 Langsdorfius in fodina salina *Salishusae* absolvit practicum. Postea *Niddae* studuit salinis cognoscendis. A.1781 *Erfurtiae* ad gradum doctoris promotus est. Semestri a.1781 aestivo *Gissae Hassorum* in universitate docuit.

Carolus Christianus cum ceteris tum praecipuê causâ valetudinis tuendae tamen decrevit, ne iniret cursum honorum in universitate studiorum faciendum, sed in administratione publica. Itaque factus est reddituarius et iudex ruralis *Mythemiae ad*

<sup>1</sup> **redituārius**, -ī m. theod. *Rentmeister*.



*Rurinnam*. Postea Langsdorfius a.1784 fuit inspector fodinarum salinarum oppidi *Gerabronnae*, quae illo tempore spectavit ad Marchionatum Ansbacensem.

*Iohannes Godefridus Tulla* ab a.1792 usque ad a.1794 *Gerabronnae* institutus est a Langsdorfio. A.1797 electus est sodalis correspondens Academiae Gottingensis scientiarum. A.1798 Langsdorfius Erlangae factus est Professor ordinarius. Idem ibidem docuit usque ad a.1804 *Georgium Simonem Ohm*, postea physicum praeclarum, illo tempore puerum quindenarium, qui antea unâ cum fratre suo minore natu a patre institutus erat mathesi.

A.1803 ab *Universitate Heidelbergensi* vocatus recusans accepit munus **Universitatis Vilmensis** oblatum mathesin atque technologiam docendi.

In *Imperio Russico* Langsdorfius eiusque gens honestatus est nobilitate hereditario.

A.1806 in Germaniam reversus adiuvante *Gottlieb* fratre suo, praefecto (*Landvogt*) *Dilsbergianus* factus est Professor ordinarius Heidelbergensis. Heidelbergae idem edidit *Annales Heidelbergenses Litteraturae Mathesis et Physicae et Scientiarum Cameralium*, in quibus praeter cetera Doctrinam Colorum Goetheanam vehementer refutavit. A.1833 mandatu Ministerii Interioris Archiducalis Badensis examinavit machinam scriptoriam a *Carolo Drais* inventam (qui etiam notior est birotâ inventâ).

D.5. m.Iul. a.1804 Carolus Christianus a Langsdorf cognomine *Archimedis VII*. ornatus electus est sodalis (numerus matriculae 1028) *Academiae Leopoldinae*. Classis mathematico-physicalis Academiae Scientiarum Bavaricae Langsdorfium a.1808 recepit sodalem externum.

Langsdorfius magno cum studio etiam quaestiones theologicas tractans complura opera huiusmodi in lucem edidit.

Eius frater *Iohannes Vilelmus* in claritudinem pervenit disciplinae salinarum eximie peritus.

*Carolus Christianus a Langsdorf* per epistulam a *Willmann* quodam *Dyrhemiensi* administratore (*Gefällverwalter*) archiducali Badensi certior factus est secundum theoriam cuiusdam geologi *Villingensis* interim iam mortui *Dyrhemiae* non solum gypsum, sed etiam salem subterraneum inveniri. Tum Langsdorfius filium suum *Gustavum* misit *Dyrhemiam*, qui una cum *K.J. Selb* consiliario fodinario terram forando perquisivit. Nocte ante d.26. m.Febr. a.1822 reverâ sal est inventus!

### **Familia**

Langsdorfius a.1781 in matrimonium duxit consobrinam suam *Elisabetham Langsdorf* (1761–1818), filiam *Caroli Vilelmi Langsdorf* (1731-1809) Consilarii Archivi Gissensis et *Mariae Iulianae Schieffer*. Par coniugum genuit 8 filios et 4 filias, quorum 5 hic sequuntur:

- *Daniel Tobias* (\* d.2. m.Sept. a.1796; † d.4. m.April. a.1871), parochus Hoffenhemiensis, postea Consiliarius ecclesiae, ⚭ a.1818 *Carolinam Burger* in matrimonium duxit (\* d.15. m.Oct. a.1793; † d.6. m.Mart. a.1880)
- *Gustavus* (1803–1847), Professor scientiae fodinarum et salinarum, in Corporatione Ingeniariorum Fodinariorum Petropolitanorum ⚭ *Maria Brömme*, parentes *Caroli a Langsdorff* (1834–1912)

- Lisetta ⚭ Iohannes Antonius Schmidtmüller (1776–1809), Professor Disciplinae Obstetriciae Landshutensis
- Iohanna Carolina (\* d.18. m.Aug. a.1789; † d.10. m.Oct. a.1828) ⚭ Ludovicus Wallrad Medicus (1771–1850), Professor agriculturae et oeconomiae forestalis Monacensis, parentes Friderici Medici
- Carolus, parochus Fliersbacensis

Post obitum *Mariae Iulianae* a.1818 in matrimonium duxit *Elisabetham Mayer* (1758–1822), viduam Consilarii Fodinarum et Directoris Cameralis *Iohannis Georgii Glenck* (†a.1802). Itaque *Carolus Christianus Glenck* factus est eius vitricus. Uxor Langsdorfii secunda filia fuit *Georgii Hartmannii Mayer* (1719–1798), qui fuit parochus et „*Apostolus Gypsi*“ et fautor agriculturae. Alterâ quoque uxore defunctâ a.1822 Heidelbergae in matrimonium duxit *Ludovicam Fridericam a Wogau* (1777–1832), viduam Professoris *Caroli Philippi Christophori Henrici Eschenmayer* (1763–1820). Eadem quoque mortua a.1832 Heidelbergae quartam et ultimam uxorem duxit *Elisabetham Schweickhard* (1779–1858).

## Werke

(Auswahl)

- Vollständige auf Theorie und Erfahrung gegründete Anleitung zur Salzwerkskunde, 1784
- *Erläuterungen der Kästnerschen Analysis endlicher Größen*, 1776–1777
- *Drey oekonomisch-physikalisch-mathematische Abhandlungen*, 1785
- *Physisch-mathematische Abhandlungen über Gegenstände der Wärmelehre*, 1796
- *Handbuch der Maschinenlehre für Praktiker und akademische Lehrer*, 1797
- *Lehrbuch der Hydraulik mit beständiger Rücksicht auf die Erfahrung*, 1794–1796
- *Der Strumpfwirkerstuhl und sein Gebrauch*, 1805
- ***Institutiones technologicae. Vilnae 1806***
- *Erläuterung höchstwichtiger Lehren der Technologie*, 1807
- *Principia calculi differentialis a fundamentis novis iisque solidioribus deducta* (= *Neue und gründlichere Darstellung der Prinzipien der Differentialrechnung*), 1807
- *Über Newtons, Eulers, Kästners und Konsorten Puschereien in der Mathematik*, 1807
- *Arithmetische Abhandlungen über juristische, staats- und forstwirtschaftliche Fragen, Mortalität, Bevölkerung und chronologische Bestimmungen*, 1810
- *Neue leichtfassliche Anleitung zur Salzwerkskunde mit vorzüglicher Rücksicht auf Halurgische Geognosie und auf die zweckmässigsten Anstalten zur Gewinnung reicherer Soolquellen*, 1824

# INSTITUTIONES TECHNOLOGICAE LANGSDORFIANAE

Carolus Christianus LANGSDORF (1757-1834):  
Institutiones Technologicae. Vilnae 1806<sup>1</sup>.

Praefatio p.V-XX + 621 pp.

I. De molis frumentariis.

II. De serratrinis.

III. De trapetis.

IV. De molendinis frumentariis.

V. De pulveris pyrii officinis.

VI. De chartariis.

VII. De diversis puteorum construendorum modis.

VIII. De calce coquenda.

IX. De gypso coquendo.

X. De lateribus coquendis.

## PRAEFATIO.

Praeter lectiones matheseos mixtae iussu Augustissimis Imperatoris mihi demandatae fuerunt technologiae Latine tradendae. Neminem autem rerum technologicarum adeo ignarum existimo, ut difficultatem earum latine tractandarum non illico sentiat? Mihi quidem tanta ea visa fuit, ut non nisi necessitate coactus laborem susciperem. Metum non vanum mihi fuisse, in ipso opere elaborando satis expertus sum. Forsitan mihi, dum nomina creavi, contigit, ut lectores suspicari nequeant, quantum temporis iis impendendum fuerit. Contra si quis erit, et sine dubio erunt, cui verba et nomina non ubique satis apta et cum ipsa re congruentia videbuntur, ab eo, dummodo meliora proferat, veniam peto.

Quod ad ipsas materias, quas tractandas mihi proposui, et quod ad ordinem et methodum eas tractandi attinet, pauca addam, ut tam auditoribus quam aliis instituti ratio appareat. Ex omnibus terris Germaniam auctoribus librorum et tractatum technologicorum maxime abundare, equidem affirmare audeo, nec ibi desunt compendia, quae laudantur. Eminent autem ex eorum auctoribus *B e c k m a n n u s*, Professor celeberrimus Gottingensis, idcirco meritissimus. Compendium technologicum edidit Gottingae 1777, cuius editio quarta, quam ipse possideo, est de anno 1796, quam vero iam quinta secuta est. Materies, quae in isto compendio tractantur, hae sunt: 1) *W o l l e n w e b e r e y* (de lana texenda); 2) *S t r u m p f - w i r k e r e y* (de tibialibus texendis); 3) *H u t m a c h e r e y* (de pileis conficiendis); 4) *W o l l e n f ä r b e r e y* (de lana tingenda); 5) *P a p i e r m a c h e r e y* (de chartariis); 6) *B i e r b r a u e r e y* (De cerevisia coquenda); 7) *E s s i g b r a u e r e y*

---

<sup>1</sup> Magnas gratias debeo *Carolo (Karolis) Lyvens Vilmensi* physico et candidato promotionis Neolatinis, quod mihi perhumaniter misit huius operis completi ligamen interretiale.

(de aceto coquendo); 8) *B r a n t w e i n b r e n n e r e y* (de liquoribus fortioribus destillandis); *S t ä r k e m a c h e r e y* (de amylo conficiendo); *V o m O e h l - s c h l a g e n* (de trapetis); *V o n d e r S e i f e n s i e d e r e y* (de arte saponarii); 12) *V o n d e r W a c h s b l e i c h e r e y* (de cera apricatione candefacienda); 13) *V o n d e r T o b a c k s s p i n n e r e y* (de Tabacco in fila ducendo); 14) *V o n d e r L e d e r - g e r b e r e y* (de corio subigendis pellibus conficiendo); 15) *V o n d e r K a l k b r e n - n e r e y* (de calce coquenda); 16) *V o n d e r G y p s b r e n n e r e y* (de gypso coquendo); 17) *Z i e g e l b r e n n e r e y* (de lateribus coquendis); 18) *T ö p f e r - k u n s t* (de arte figuli); 19) *P f e i f f e n b r e n n e r e y* (de conficiendis fistulis fumo ducendo); 20) *P o r c e l l a n k u n s t* (de officina murrhinaria); 21) *V o n d e r G l a s m a c h e r k u n s t* (de arte vitriarii); 22) *S p i e g e l g i e ß e r e y* (de officina specularia); 23) *T h e r s c h w e l e r e y* (de educendo oleo pissino ex pinis); 24) *K o h l e n b r e n n e r e y* (de arte carbonariorum); 25) *P o t a s c h e n - s i e d e r e y* (de producendo cinere clavellato); 26) *S a l z s i e d e r e y* (de sale communi coquendo); 27) *S a l p e t e r s i e d e r e y* (de nitro coquendo); 28) *Z u c k e r s i e d e r e y* (de saccharo coquendo); 29) *B e r e i t u n g d e s S c h i e ß p u l v e r s* (de pulveris pyrii officinis); 30) *M e s s i n g b r e n n e r e y* (de orichalco componendo); 31) *N a d e l m a c h e r e y* (de arte acicularii); 32) *M ü n z k u n s t* (de arte numismatica). Numerus permagnus est, sed duplum habemus in *I u n g i i C o m p e n d i o*: *V e r s u c h e i n e s L e h r b u c h s d e r F a b r i k w i s s e n s c h a f t z u m G e b r a u c h a k a d e m i s c h e r V o r - l e s u n g e n* 2te Auflage, Nürnberg 1794; fere triplus est in *R ö s s i g i i L e h r b u c h d e r T e c h n o l o g i e* Jena 1790, et fere sextuplus in *W a l t h e r i L e h r b u c h d e r T e c h n o l o g i e* Giesen 1796. Horum compendiorum ductum sequuntur in lectionibus, quae dantur *G o t t i n g a e*, *M a r b u r g i*, *L i p s i a e*, *G i e s s a e* etc. ita quidem ut centum circiter horis *c u r s u s* omnino absolvatur. Unde Candidatorum, qui studiis, quae vocant cameralia, et imprimis lectionibus technologicis omne ingenium, studium et laborem impenderant, ignorantiam incredibilem ipse saepissime expertus sum. Etenim quum in ipsis lectionibus, quibus tot et tam diversae doctrinae 100 horis absolvuntur, professor in rem ipsam penetrare nequeat, discipuli accipiunt putamen pro nucleo vel superficiem pro re ipsa, et cursu absoluto de multis solummodo garrere didicerunt. Unde ex iis, qui non cathedrae sed negotiis civilibus vivunt, plures lectiones technologicas ab academiis prorsus excludendas iam pridem iudicarunt. Minime tamen iis assentiendum puto. Potius curandum erit, ut ea tantummodo ex technologicis eligantur, quae, ut penitus intelligantur, ex veris principiis deducantur et iusto modo exercentur, cognitiones supponunt, quae ab eruditioribus petendae et ex hoc fonte in officinas deducendae sunt. Non autem exiguus est capitum technologicorum numerus, quae istas solidiores cognitiones requirunt; igitur ex ipso hoc numero tot tantummodo eligantur capita, quot penitus tractandis tempus cursui praescriptum sufficiet.

Ea autem potissimum tractanda erunt, quae generalioris usus sunt; imprimis ad utilitatem respiciendum est, quam profundior harum rerum cognitio terrae, cuius causa literarum universitas fundata est, afferre potest. Iis ita electis rerum tractatio, ut mihi quidem videtur, ea esse debet, ut, qui erudiri cupiant, eas non ex sola superficie sed ex omnibus partibus perspiciant; non modo generaliter sciant, quid et quali apparatu vel quibus machinis in officinis efficiatur; sed et apparatus et machinas quod ad nexum et dimensiones partium et quod ad rationem effectus, nec non labores ipsorum operariorum eorumque ordinem exacte et penitius cognoscere debent, quam ipsi opifices, ut ipsorum studio opifices iuvari et artes vel opificia divulgari, amplificari et promoveri possint. Igitur, cui munus technologica docendi demandatum est, caveat, ne proponere et explicare audeat capita, in quibus suam ipse cognitionem nimis defectuosam sentit. Quatenus officii hoc opusculo ipse satisfecerim, ii iudicent, quibus hae institutiones scriptae sunt, i.e. iuvenes et fundorum possessores in his terris Lithuanicis. Sane nunquam generalem istam discendi cupiditatem cum vera animi bonitate et modestia consociatam expertus sum, qualem in hac nostra universitate\*). Quod ad fundorum possessores, eos habemus, qui cognitionibus in mathematicis, physicis et chemicis satis eminent, ut Eruditorum nomine digni sint. Nemo in Lithuania horum virorum tam ignarus est, ut ex pluribus nomina illustrissimorum Comitum a P l a t e r non illico enunciet. Ab istis iuvenibus a me maxime dilectis et ab his viris exspecto, ut iudicent an utilia docuerim et satis dilucide explicaverim. Officinarum, quas hoc libello exstruendas et iusto modo disponendas trado, in Lithuania vel summa inopia est, vel ea earum conditio, ut satis eluceat insignis exstructorum ignorantia, quia ipsa exstructio plerumque solis opificibus committitur. Si quis sit, qui me evocet, ut exempla afferam, ille fundos Comitum a T i e s e n h a u s inspiciat. Admiratus sum huius oeconomii in rem suam vigilantissimi et per omnia oeconomiae ruralis capita sane peritissimi dispositiones in aedibus ruralibus, in agris colendis, in pratis meliorandis, in viis ordinandis, in re pecuaria, in pomis curandis et a frigoris iniuria defendendis etc. Molis autem, quas in eius fundis collustravi et examinavi, nunquam sequiores vidi. Serratrini ipsi maxime necessariis omnino caret; frumentariae pessime constructae sunt. Aquarum oeconomia potius prodigum quam avarum annunciat. Imo ipsa haec urbs nostra, Lithuaniae Metropolis, nobis huius rei exempla offert. Condita ea est in regione depressiori undequaque circumdata monticulorum seriebus, quorum altitudinem trecentorum pedum Parisinorum, ut mihi quidem videntur, non excedent. Attamen quum seriem series sequatur, et reliquae Lithuaniae planities (M o n t e s enim ibi nullibi reperiuntur) valle nostra multo editior sit, aquae, quae natura largitur, hunc tractum sequuntur. Colliguntur autem in diversos alveos: maiorem, qui aquas V i l l i a e recipit, et minorem, qui aquas V i l e n k a e deducit. Uterque urbis nostrae partem depressiorem humectat. Vilenka, rivus aquis perennibus abundans, partem aliquam suburbii *Zarzecz* a reliqua dividit et hanc suburbii partem rapiditate

---

\*) Odi profanum vulgus adulatorum. In Germaniam iam revocatus ea scripsi. Utinam eundem ad artes et literas ardorem experiar in iuvenibus Germaniae; artibus qui operam dent, moribus inculti esse nequeunt; didicisse enim fideliter artes emollit mores nec sinit esse feros.



relinquens statim in Villiam labitur<sup>\*)</sup>. Neque Villiam neque Vilenkam circiter octies minorem adhuc examinavi; attamen pro certissimo supponendum puto, quantitatem aquae mediam, quam Villia singulis minutis secundis ex Vilenka recipit potius maiorem esse quam minorem 160 pedibus cubicis Parisinis. Tam Villiae quam Vilenkae magna est declivitas, maior tamen Vilenkae, ita tu molae inferiores a superioribus, quamquam aqua lapsu altitudinem sex pedum superante in rotas incurrat, vix intervallo aliquoties centum passuum distent.

Igitur pars huius rivi longitudinis aliquot millium passuum non modo omnibus, quibus urbs indiget, molis frumentariis omnino sufficit, sed praeterea exstruendae chartariae, officinae pulveris pyrii et serratrinae multis serris instructae. Sed et aliae officinae desunt, quibus urbs abunde suggerit materiam, quo potissimum pertinent n i t r a r i a e, quales in his regionibus non obveniunt. Laterarias quidem et fornaces calcarias prope urbem et alibi in Lithuania exstructas vidi, sed multum abest, ut perfectioribus accenseri possint, nec operarii, qui ea opificia exercent, revera sunt opifices, sed homines imperiti; haec autem opificia in his regionibus ob saxorum inopiam (lapidinae enim deficiunt) summam attentionem merentur, praesertim quum ligna magis magisque rarecant, eorumque pretio quotannis multum accedat. Eas igitur in hoc opusculo tractasse mihi videor materias, quae tam Metropoli quam fundorum possessoribus hodiernis et futuris utilissimae erunt, quarumque cognitio huc usque in his terris neglecta fuit. Invitus tamen, quae in his institutionibus docenda mihi proposueram, non omnia tractavi; huic refero artem carbonariorum, doctrinam de viis et pontibus componendis, nec non illam de fontibus salsis et de salinis exstruendis. Solummodo metus, ne his additis opusculi sumtus nimium accrescerent, causa fuit, ut capita ista iuvenibus Lithuaniae admodum utilia ab his institutionibus excluserim. Ceterum si quis formam opusculi c o m p e n d i o et usui academico minus accomodatam censeat, is scito, me non compendium sed institutiones elaborare voluisse, quibus proprio studio erudiri possint, qui erudiri cupiant; etenim his plagulis omnibus prodesse volui, qui eas legant, nec quemquam cogere, ut me audiat, quia in his terris desunt libri technologici polonice vel latine scripti. Ut autem omnia satis explicari possent, magno figurarum et delineationum numero opus fuit; attamen ne temporis et valetudinis prodigus essem, iis usus sum licentiis, quae ipsi libello non nocent; nempe in machinarum et apparatusum partibus designandis et componendis nullibi scala geometrica usus sum, quia in ipso libello omnium partium dimensiones pro diversis conditionibus docui; dentes rotarum et bacillos curriculum non ubique omnes delineavi; mens sana reliquos ipsa supplebit; insanae autem haec non scripta sunt. Idem dicendum est de rotis aquariis, quibus non omnes palmulas vel situlas dedi, quia earum delineationem et distributionem in ipsa tractatione docui.<sup>\*\*)</sup>

In compendiis Germanicis apparatusum et machinarum delineationes omnino desunt. Sumtus tam ipsi opusculo quam tabulis in aes incidendis impendendi sat magni fuerunt; attamen Academiae nostrae Praeses, Rector et Episcopus dignissimus

---

\*) Tantummodo exteris haec scripta sunt, ut iis aliqua sit notitia de huius urbis situ.

\*\*\*) In tabulis in aes incisus, potissimum in prioribus literae quaedam desunt, quae tamen facillime supplentur.

STROYNOWSKI, qui salutem Academiae et scientiarum et artium progressus summo ardore curat, voluit, ut elaboraretur, typis vulgaretur et tabulae in aes incisae adderentur. Quam plurimum ei debet Academia Vlnensis et iuventus Lithuanica; mihi fuit Maecenas et sanctissima mihi esto memoria Eius.

Vilnae d. 15. April. 1806.

Car. Christ. Langsdorf.

**EXPLICIT PRAEFATIO  
OPERIS  
A  
CAROLO CHRISTIANO LANGSDORF  
SCRIPTI,  
C.T.  
INSTITUTIONES TECHNOLOGICAE  
ET QUOD EDITUM EST  
A.1806  
VILNAE  
IN CAPITE  
LITHUANIAE.**



Logodaedalus lēctōrī salūtem plūrimam dīcit.  
Sī valēs bene est, ego quoque valeō.

## Dē dēlictō contrā sacrāmentum commūniōnis ā puerō patrātō

### Quaestiō jūris

Quōdam diē amīcus, cum scīret mē nōn fuisse discipulum īnfirmum et in prōvinciā jūris canonicī, rogāvit ut huic quaestiōnī respondērem: sī puer peccāret abdūcendō hostiam cōnsecrātā, quae essent cōnsequētia.

In prīmīs memorāre juvat tantum tenērī ā lēgibus merē ecclēsiasticīs baptizātōs in Ecclēsiā Catholicā vel in eandem receptōs, quīque sufficientī ratiōnis ūsū gaudent et, nisi aliud jūre expressē caveātur, septimum aetātis annum explēvērunt (**can. 11**).

Eucharistia est «augustissimum sacrāmentum» (**can. 897**), quod in maximō honōre ā Christifidēlibus habendum est (**can. 898**).

**Can. 1382** (jam **can. 1367** Franciscī PP. ante Cōnstitūtiōnem Apostolicā “Pascite gregem Dei” quā liber VI Cōdicis Jūris Canonicī refōrmātus est; **can. 1442 CCEO**) poenā excommūnicātiōnis lātae sentētiaē Sēdī Apostolicae reservātae eōs, quī speciēs cōnsecrātās, i.e. pānem et vīnum, et singulātīm abjiciunt aut in sacrilegum finem abdūcunt vel retinent, afficit.

Hāc dē causā, i.e. periculī reverētiaēque, Catholicī, quī veterem sequuntur ōrdinem, arbitrantur sacrāmentum commūniōnis nōn in manūs, sed in ōs dandum esse. Utrumque tamen licitum est<sup>1</sup>.

Excommūnicātiō (**can. 1331**) est gravissima poenārum Ecclēsiaē, quā Catholicī excluduntur ab ūnitāte fidēlium propter dēlictum sīc pūnitum ex lēge canonicā. Excommūnicātus prohibētur sacramenta recipere et omnia officia mūneraque cujuslibet generis exercere.

Excommūnicātiō lātae sentētiaē est sub anathematis poenā **ipsō factō** incurrere. Catholicī, quamquam excommūnicātī, numquam dēfugere officia fideī Christiānae possunt.

Sī remissiō excommūnicātiōnis lātae sentētiaē strictē reservātur Sēdī Apostolicae (**can. 1354 §3**), solum paenitēns in articulō mortis versāns ā quōque sacerdotē absolvi potest (**can. 976**). In concrētō (**can. 130**) Paenitentia Apostolica dē forō internō et Congregātiō prō Doctrīnā Fideī dē forō externō prō Sēde Apostolicā jūdicia administrant. Vidēlicet forum internum esse illud cōnscientiae, forum autem externum illud coram jūdice et alterā parte<sup>2</sup>.

Īi, quī haec sex dēlicta perpetrant, pūniuntur **excommūnicātiōne lātae sentētiaē reservātā Sēdī Apostolicae**: quī vim physicā in Rōmānum Pontificem adhibent (**can. 1370 §1**), quī sacrum ōrdinem muliērī cōferre et quae sacrum ōrdinem recipere attentāverint (**can. 1379 §3**), quī speciēs cōnsecrātās abjiciunt aut in sacrilegum finem abdūcunt vel retinent (**can. 1382**), sacerdotēs quī absolvunt complicem in peccātō contrā sextum Decalogī praeceptum (**can. 1384**), cōfessariī quī sacramentāle sigillum dīrēctē violant (**can. 1386 §1**) et episcopī quī sine pontificiō mandātō

aliquem cōsecrant in Episcopum itemque quī cōsecratiōnem recipiunt (**can. 1387**). Praetereā necesse est, ut pūniātur, esse graviter imputābilem ex dolō vel ex culpā (**can. 1321**). Propter errōrem aut ignōratiōnem in objectō nōn pūniuntur<sup>3</sup>: quī speciēs cōsecrātās prōfānant nescientēs aut arbitrantēs eās nōn esse, quī speciēs cōsecrātās prōfānant quae nōn amplius recognoscī possunt.

Secundum commūnem opiniōnem doctōrum prōfānare speciēs cōsecrātās hoc significat, abjicere vel spargere eās ad terram, in ignem, in latrīnam vel in aliud locum sordidum turpemve contemptiōne, proterviā, malitiā et quāque aliā causā<sup>4</sup>.

Abjicere lātō sēnsū est etiam conculcāre speciēs cōsecrātās, eās vomere post sacramentum vel in eās spuere, in eās jacere stercus, sordēs vel lutum et cētera, sed etiam animalibus eās objicere.

Finis sacrilegus hōc significat, speciebus ūtī ad finem obscēnum, superstitiōsum, impium<sup>5</sup>, i.e. in orgiīs Bacchānālibusque, incantāmentīs et rītibus magicīs, in missīs Satanicīs.

Puerī vel nūllī poenae obnoxii sunt quia nōndum sextum decimum aetātis annum explēvērunt (**can. 1323 n. 1**) aut eīs poena lēge vel praeceptō statūta temperārī dēbet vel in ejus locum paenitentia adhibērī, sī aetātem sēdecim annōrum explēvērunt (**can. 1324 §1 n. 4**).

Hīs dē causīs sī puer dolō vel culpā abdūceret hostiam cōsecrātā, haud excommunicārētur, sed nūllā aut, sī sēdecim annōs nātus, levī poenā vel paenentiā castīgārētur. Ā fortiōrī ratiōne puer quī hostiam abductam ēdit, pūnīrī nōn potest, quia eam neque abjēcit neque retinuit in fīnem sacrilegum. Ubi tamen dēficit jūs canonicum, ibi viget jūs parentium!

*Salvīs jūribus.*

Grātiās tibī agō! Subscrībe grātiīs ut novās epistulās accipiās et opus meum sustineās.

1

S. Congr. prō Cultū Dīvīnō, *Instr. Memoriāle Dominī*, 29 Maiī 1969: *A.A.S.* 61 (1969), pp. 542-547; S. Congr. dē disciplīnā Sacramētōrum, *Instr. Immēnsae caritātis*, 29 Jānuārī 1973: *A.A.S.*, 65 (1973), pp. 264-271; C.E.I., *Modalità per la distribuzione della santa Comunione*, 15-19 maggio 1989 n. 56

2

Dē forō internō: C.M. Fabris, “Il foro interno nell’ordinamento giuridico ecclesiale”, *Pravo Kanoniczne*, 3, 2015, pp. 29-64; C.M. Fabris, “L’evoluzione della nozione di foro interno: dal can. 196 del CIC17 al nuovo can. 130 del CIC83”, *L’Ircocervo*, 1, 2017, pp. 94-106; G. Ferro Canale, “Foro interno e foro esterno”, *Trāditiō canonica*, filodiritto.it, 2022

3

V. De Paolis & D. Cito, *Le Sanzioni nella Chiesa. Commento al Codice di Diritto Canonico Libro VI*, Urbaniana University Press, Città del Vaticano, 2000, pp. 305-306

4

A. D’Auria, “L’interpretazione autentica del can. 1367 e la problematica del dolo specifico”, *Jūs Ecclēsiae*, 2, 2016, pp. 285-300

5

Pontificium Cōnsilium dē lēgum textibus interpretandīs, Respōnsiō ad prōpositum dubium, 4 Jūniī 1999: *A.A.S.* 91 (1999), p. 918

Valē longum, jūcundissime sodālis.

P.S.

Percommodē hoc mihi nunc in mentem venit. Sī tibi placuit epistula, cūr istam nōn commūnicās cum amīcīs?

**DE DELICTO  
CONTRA SACRAMENTUM  
COMMUNIONIS  
PATRATO  
SCRIPSIT  
LOGODAEDALUS**

# ECHUS VOCES & EPISTULAE

## CAROLUS LYVENS LITUANUS VILNENSIS ET MAMUCIENSIS

d.3. m. Aug. a.2023 h.16:31

**Nicolaus Leo Latinus Carolo Lyvens suo optimo sal.pl. s.v.b.e.e.v.**

Quid fit, quid agitur? Fruerisne diebus aestivis? Esne loculum frigidulum nactus? Utinam ne fervores patiaris. Utinam liceat tibi gustare frigus amabile. Iamne perlustrasti Epistulam Leoninam 281? Tibi commendo fabulam criminalem a Ferdinando de Schirach scriptam, c.t. PUELLAE. Qua agitur de viro qui propter diffamationem tres annos degit carcere inclusus et desiderat ultionem. Agitur de re psychologica. Quid tibi videtur de argumento fabulae? Quid censes de elocutione Ferdinandi Laconica? Suspenso animo exspecto arbitrium tuum sagacissimum. Vale pancratice, mi care sodalis, et perge mihi favere. Medullitus te salutat

**Nicolaus Leo Latinus**

d.09. m. Aug. a.2023 h.14:48

**Carolus Leoni suo salutem plurimam**

Grato animo accepi epistulas tuas Leoninas – multa illic lectu dignissima insunt. Modo versavi epistulam tuam recentissimam, oculi haeserunt in vitā Hitleri, tyranni vestri, abs Te decorā Latinitate donatā. Sed non perlegi, ad varias quaestiones tuas Tibi rescribam mense vergente – nunc per totos dies incumbo computatro meo et scribo thesin meam doctoralem. Opus est ut intra 10 dies perficiatur. - En habeas munusculum quoddam, est libellus olim Vilnae editus, fortasse non pauca vocabula nobis utilia illic invenies. Germanus quidam in universitate nostrā coactus est docere varias artes fabriles Latine: <https://books.google.lt/books?id=bZdXAAAACAAJ> [books.google.lt]

**Haec pauca in praesenti. Valeas quam optime!**

d.9. m. Aug. a.2023 h.21:17

**Leo Carolo suo optimo sal.pl.**

Bellissimum mihi donasti munusculum! Perplacet mihi haec commentatio technologica Vilnensis.

Iam proxima in Leonina mea publicabo praefationem tam vivide atque luculenter scriptam, in qua auctor confitetur sibi difficile esse de rebus technicis Latine scribere. Iam saepius animadverti, mi care Carole, te esse non solum physicum, sed etiam philologum sagacissimum. Nam te inventore accepi complura cimelia bibliothecarum rarissima et Latinissima. Gratias plurimas, care amice. Utinam thesis tua doctoralis succedat tibi felicissime! Si vacabis, fac me certiolem, quaeso, de argumentis thesis tuae. Nam sum curiosissimus. Nonne vis summarium scribere in Epistula Leonina publicandum? Sed haec sit tibi cura posterior, nunc est opus tuum magnum perficiendum. Haec raptim, mox certe plura. Utinam omnia bene eveniant! Medullitus **Nicolaus Leo Latinus**



d.10. m.Aug. a.2023 h.14:08

**Carolus Leoni suo s.p.d.**

Gaudeo libellum placuisse! Ego quoque legi praefationem, placuit narratio eius. Et omnino multa iucunda insunt, multa discere possumus tam de nominibus Latinis quam de rebus ipsis. Si vis chalcographemata melius cernere, hic asservatur apographum maximi ponderis (fere 800 megaoctadum!), tamen coloribus tinctum: <https://elibrary.mab.lt/handle/1/24244?show=full> De thesi meā libenter narrabo, sed postea! **Interea autem belle valeas!**

d.11. m.Aug. a.2023 h.13:54

**Nicolaus Carolo s.**

Gratias plurimas etiam pro adiumentis technicis! Fac ut bene progrediaris, mi care candidate promovendissime! Medullitus **Nicolaus Leo Latinus**

**LYDIA BRIGHI ARIMINENSIS**

d.09. m.Aug. a.2023 h.18:57

**Lydia Nicolao spd**

Pergrata est translatio meae fabulae in Epistulam Leoninam! Re vera non tam conspicua est in rubrica Narrationes, quam vix, ut scripsisti, invenisti in “labyrintho” novae Ephemeridis. Ne hoc accipiat in contumeliam Albinus qui maxime huic operi renovandi situm se tradidit tantoque studio! Tamen quarta pars deest, quam mittere tibi poteram. Hoc mox faciam. **Valete optime!**

**Nicolaus Lydiae sal.pl.**

Fabula tua est Ephemeridis decoramentum mirum quantum. Perrari sunt, qui non solum eleganter sciant Latine scribere, sed etiam fingere fabulas et lepore et argumentis plenas. Genovefa illa facundissima Saeculorum transvectionis auctrix, cum iam pridem sit nobis erepta, tu cara Lydia, mihi videris esse rara avis in terris lauro digna. Pergas, quaeso, Scribam tuum Romanum scribere, ut arte tua narrandi laetifices lectores Ephemeridis. Albino Daedalo nostro interretiali iam scripsi; bene spero eius animum consolabilem non laesum esse. Haec breviter, sed mox, si volueris, certe plura. Medullitus te salutatur **Nicolaus Leo Latinus**

**ALEXIUS VESTIGIARIUS**

d.09. m.Aug. a.2023 h.20:12

**Alexius D.ri Nicolao suo Gross s.q.p.d.**

Permultas tibi gratias ago, humanissime vir, quam pro litteris tam pro novissima huius diei Epistula Leonina! Ignoscas, quaeso, silentium. Scribo symbolam pro periodico tuo. Sempiternas etiam gratias ob Latinam amicitiam nostram. Optime vale!

d.09. m.Aug. a.2023 h.20:28

**Nicolaus Alexio suo optimo sal.pl.**

Semper gaudeo de lectoribus attentis, Alexi carissime, et animo suspenso exspecto symbolam tuam. Si vacabis, scribe mihi, quid tibi Epistulam Leoninam perlustranti in buccam venerit. Iamne vidisti collectanea mea, quae spectant ad carmen Uhlandianum Boni Sodalis? Quid tibi videtur de variis versionibus? Et id praecipuum volui ex te quaerere: Quid sentis de duabus versionibus Russicis quas inveni? Suntne bene scripti, respondentne sat fideliter verbis Uhlandianis et melodiae Silcherianae? An tu meliorem habes versionem? Vale semper pancratice et perge mihi favere, mi optime Vestigiari. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

**NAEVIUS SARTORIUS**

d.15. m.Aug. a.2023 h.19:29

**Naevius Nicolao suo s.**

Care amice, montes Norvegiae alti sunt, aqua glacialis clarissima et suavis est; omnis terra est magnifica, pulchritudinis dulcedinisque summae. Otio me dare possum, sed legens haec <https://www.tichyseinblick.de/daili-es-sentials/telegraph-diskussion-afd-verbot-in-deutschland/> et haec <https://www.tichyseinblick.de/daili-es-sentials/bosetti-sendung/> de insania Germanica denuo maxime indignor. Haec raptim, fortasse plura mox - nuntios interretiales eo tempore otioso vitare studeo **Medullitus te salutat Naevius**

d.15. m.Aug. a.2023 h.19:48

**Naevius Nicolao s.**

Ille Jochum de ista excetra et meretrice systematis *Mai Thi Nguyen-Kim* optime scripsit. [https://www.achgut.com/artikel/die\\_institutionalisierte\\_corona\\_karrieristin](https://www.achgut.com/artikel/die_institutionalisierte_corona_karrieristin) **Vale, N.**

d.15. m.Aug. a.2023 h.20:58

**Nicolaus Naevio s.**

Jochum fumum et nebulas ab ista excetra factas revera accuratissime diffindit. Utinam ne adulescentes decipiantur deliramentis Leiendeckerianis! **Vale semper, NIC.**

**ANSGARIUS OSLOENSIS**

d.15. m.Aug. a.2023 h.08:51

**Nicolao Salutem Ansgarius**

Gratias tibi plurimas ago pro epistulis Leoninis, doctrina atque urbanitate abundantibus. Non sine gaudio legi cum de bestiis, tum de animalibus nobilioribus ut apportatore aureo. Etiamsi cultor felium fervidus sim, sane non mihi displicent canes. Quidam philosophus senioris aetatis, cuius nomen mihi e memoria iam excidit, non perperam, ut quidem sentio, dixit, homunculos, quantum ad vitam et mores pertinerent, ab canibus longe superari. Canes enim plane novisse, quid esset fides ac virtus. Rursum textum emendatum, ut puto, de frigidario magna cum oblectatione

legi. Ni memoria me fallit, sanctus ille Italicus, a populo minuto amatissimus, cui nomen Pater Pius, cum illum de inventionibus ac maximis mutationibus aetatis nostrae interrogarent, non immerito dixit, frigidarium Dei inventum esse, televisionem autem Diaboli. Etiam interpretationem tuam illius fabulae fictionis scientificae perlegi. Leo ille latinus non tantum de rebus technologicis veris optime latine disseritur, vero etiam de inventionibus ficticiis! Macte virtute! Non nulla verba perutilia didici, ut anticatasopia et cryptacustrum. Caput vero cenae, hac in occasione, fuit fabula Lydiae Ariminensis. De elocutione et narratione profuse dicenda sunt, ubi multa subtiliter atque indirecte legentibus suggeruntur. Protagonista valde placet, ut delator callidus, filius amans lectorque operi Horatiani! Haec omnia fortasse colore capillitii indicavit Lydia. Apud Russicos viget hoc proverbium sapidissimum: nullus Sanctus rufulus fuit.

### **Taurice te salutat Ansgarius**

d.15. m.Aug. a.2023 h.14:29

### **Nicolaus Ansgario suo optimo sal.pl.**

Sane me laetificas, care Ansgari, Epistulis Leoninis recensendis. Placet mihi te delectari et felibus et armariis frigidariis neque canes tibi ingratos esse. Porro gaudeo tibi haud ingratham esse meam scientiam ficticiam vestimento Latino indutam. Ea quae de Lydiae fabula dicis me faciunt curiosum: Nonne vis ea quae in epistula tantummodo leviter tangis, fusius et subtilius explicare? Etiam proverbio russo allato in hoc contextu sermonis quid sentias, non certo scio. - Ceterum miror de quadam lacuna recensione tuae: tacite praeteris "Anatomiam Dictatoris". Adhuc muginor, quid concludam ex isto silentio tuo. Num indignationem tuam exprimas eo quod hanc symbolam retices, secundum verba Ciceronis, q.s. "Cum tacent, clamant"? - In praesenti praeparo proximam Leoninam, in qua agitur cum de aliis tum praecipue de sarcophagiae vituperatione. In colloquio quodam Raffaella Raab tutatrix bestiarum herbivora et pugnacissima, postulat, ne homines pergant carne vesci et ut bestiis concedantur iura humana. Deinde lectoribus praebeo symbolam quae spectat ad Petrum Wohlleben saltuarium, qui refert de arborum vita secreta; idem enim pro certo habet arbores (aliasque plantas) sentire et dolere et gaudere et mutuo se adiuvare. Si Petrus recte iudicat, nonne etiam peccat illa Raffaella phytophaga crudelissime lactucam miserrimam necnon carotas deplorabiles ex humo materna eripiens, dissecans, degluttians? Quid denique nobis restat, si nos miseret omnium entium sensibilium? Num nemo vere probus est, nisi fame pereat? -- Ceterum vidi te in Ephemeride nunc commentarios de picturis publicare. Macte virtute esto! Etiam photographema tui sigarum fumantis mihi placet. Vale semper, mi humanissime, medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

## **RADULFUS LAVALLE BONAEROPOLITANUS**

d.17. m.Aug. a.2023 h.23:26

### **Radulfus Leoni s.**

Carissime Leo Latine, Quod semper dico repeto: tuam amicorumque tuorum Latinitatem laudare non desinam. Monstrum doctrinae estis. Sine, precor, me tres notiunculas scribere. De armario frigidario, mihi magis placet *frigidarium* simpliciter, ut deam Brevitatem colam (attamen gustum monstro et ceteris nullum de hoc consilium do). Expressionem *scientiam ficticiam* ignorabam (Latinam interpretationem dico). Gratias! Ad ultimum, virago illa Thora priscas Amazones non imitatur, quia, si ioculus paululum lascivus mihi permittitur, nullo modo immensam mammam sinistram secuit. **Valeas Semper, Radulfus**

d.18. m.Aug. a.2023 h.12:04

### **Leo Latinus Radulfo suo Bonaeropolitano sa.pl.**

Gratias plurimas, care Radulfe, tibi ago, quod post pausam longiusculam mihi aliquid scribis. Libenter tibi respondeo ad adnotatiunculas tuas:

1) Tu vis nomen armarii frigidarii abbreviare. Sed certo scis "frigidarium" fuisse partem balnei Romani. Ne instrumentum modernum refrigeratorium confundamus cum antiquo conceptaculo aquae frigidae, servem nomen bipartitum. Sed in contextu sermonis licet etiam abbreviare.

2) scientia ficticia: Fortasse melius scripsissem "fictio scientifica". Quid sentis?

3) Rectissime observas Thoram - quantum spectat ad mammas - non esse Amazonem. Sed illo loco potius cogitavi de moribus quam de mammis. Mox accipies EL 283 - ubi agitur cum de ceteris, tum praecipue de quadam puella nomine Raffaella Raab, quae severissime postulat, ut homines abstineant a carne comedenda et a lacte bibendo, ne vexentur miserae bestiae, quae sunt vaccae et porci et caprae et oves etc. Ceterum agetur de quodam saltuario, qui pro certo habet arbores sentire posse, gaudere et maerere, amare et odisse, necnon inter se adiuvare. Quid tibi videtur de his rebus mirificentissimis? Vale semper, mi care Radulfe, et perge mihi favere.

**Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus**

## **URBANUS FERRARIUS BRASILIOPOLITANUS**

d.18. m.Aug. a.2023 h.03:31

### **Urbanus Leoni Latino salutem.**

Tibi breviter scribo, amice, ut tecum agam de oppido quodam Brabantiae Septentrionalis, cui nomen Nederlandense est Roosendaal. Nondum inveni eius nomen Latinum. Apud Vicipædiam autem, chirographum quoddam sæculi XIII scriptum fuisse traditur, per quod sacellum donatur «in loco dicto Rosedale». Hac appellatione interpretata, habemus Rosæ vallem. Quibus rebus consideratis, poteritne oppidum appellari «Rosedālia»? An «Rosæ Vallis» magis convenit? An tibi aliter videtur? **Urbanus**



d.18. m.Aug. a.2023 h.11:45

**LEO LATINUS URBANO SUO ONOMATOPHILOTATO\*) SAL.PL.DIC.**

Inveni, care amice, nomen Latinum a.1291 in testimonio adhibitum, quod spectat ad uliginem \*turfaceam vendendam ("moer", "veengrond" = +turfetum); haec uligo sita erat prope Monasterium Sanctae Catharinae, in "het dal der rozen", i.e. Latine "Vallis Rosarum". Inde sumptum est nomen oppidi. En lege testimonium batavicum et gaude de nomine invento et perge mihi favere. **Medullitus te salutat LEO LATINUS**

\*) onomatophilotos gr. i.q. "nominum amantissimus"

<https://www.heemkundekringroosendaal.nl/rooeszendaaele/>

"In een **acte van 25 december 1291** wordt de verkoop van een moer (veengrond) geregeld, gelegen naast onder meer het **klooster (St. Catharinadal)** in "het dal der rozen" en wel in het Latijn "**de valle Rosarum**". **De Latijnse naam was dus "Vallis Rosarum" (3).**

In een oorkonde van 5 november 1292, waarin een cijns uit grond wordt verkocht aan het klooster St. Catharinadal, ligt die grond onder "**Rosendaele**" (4). In een leenbeschrijving uit 1440 staat **Roesendaele** (5). Op 18 januari 1557 is in een gerechtelijk stuk nog sprake van de Vrijheijt van **Rosendale** (6), doch in 1635 wordt op de oudste klok in de toren vermeld: "Johannes Bapsista patronis muinicpii de **Rozendale**" (7)."

(3) P.C. Boeren, "van Haviksdonk tot Roosendaal", GR nr. 25 (1965) pag.72.

## **EPISTULA CHRISTIANI LAES: DE CERTAMINE QUIRINALI**



**PROF. DR. CHRISTIANUS LAES**  
ANTVERPIENSIS ET MAMUCIENSIS

**Christianus Laes praeses omnibus sodalibus ALF salutem plurimam.**

Conventiculo ALF feliciter peracto, licet mihi vobis annuntiare rem alicuius momenti, de qua inter consiliarios sumus collocuti.

Nemo enim nostrum ignorat certamina Latina, quae nunc exstant, ad carmina vel fabulas narrationesve fictas plerumque spectare eodemque tempore negligere symbolas et commentationes doctas, quas olim studiosi saepe Latino sermone pangebant. Omnibus patet quaquaversus quantopere homines docti ac praesertim philologi, exoleta consuetudine scribendi Latine, munere suo te se abdicarint.

Nobis est persuasum Latinam linguam commercia inter doctos, praecipue inter eos, qui disciplinis philologis, historicis archaeologicisve student, hodierno quoque tempore fovere posse. Commentarios academicos exarare sermone naturali et communi scrutatoribus rerum classicarum inceptum est laude dignum, cum nationibus cunctis ostendat pro imperio linguae Anglicae alterum sermonem ‘universalem’ substitui posse.

Qua de causa cogitavimus de certamine ab Academia instituendo, ut optima symbola Latine scripta et in commentariis periodicis divulgata praemio honestetur. Certaminis praeconium documento subiuncto inest.

Propositum primum huius certaminis erit suadere studiosis, praesertim iuvenibus, ut investigationes doctas Latine publici iuris faciant. Ne plura scribam: sint Maecenates, non deerunt Marones...

Praesertim sodali nostro Marco Cristino gratias ago, qui hoc propositum summo studio atque ardore excogitavit, propagavit, defendit.  
Valeatis pancratice atque Latinitatem fovere pergatis

**Prof. Dr. Christian Laes**

Departement Geschiedenis/ Department of History  
Universiteit Antwerpen/ University of Antwerp  
Stadscampus·S.SJ.303·Sint-Jacobsmarkt 13·  
B 2000 Antwerpen

# CERTAMEN QUIRINALE

**Academia Latinitati Fovendae** ad primum Certamen Quirinale omnes antiquitatis litterarumque studiosos invitat, ut **optima symbola inter a. 2018 et a. 2023 Latine publici iuris in commentariis periodicis facta praemio honestetur.**

Ab universis scriptorum auctoribus rogatur, ut **symbolam** (iam typis traditam) **non ex alio sermone versam nec quinque paginis brevior** iudicibus **ante Kalendas Februarias a. 2024 mittant** ad inscriptionem cursualem electronicam, quae est [certamen.quirinale@gmail.com](mailto:certamen.quirinale@gmail.com). Symbolae tantum accipientur, quae e plagula .pdf constant. Unam symbolam existimandam omnis candidatus tradat.

**Collegium sodalium Academiae attente considerabit ac iudicabit commentationes doctas** (e.g. philologas, litterarias, philosophicas, theologicas, archaeologicas, historicas, glottologicas vel musicologicas), **aestimata et stili Latinitate et argumenti gravitate.** Symbola enim enixe exquiritur non solum Latino sermone emendato scripta, sed etiam de rebus quae maioris sint momenti ad progressum disciplinae cuiusvis provehendum. Qua de causa scriptionibus tantum in commentariis periodicis editis in certamen venire licet et textus omnes reicientur sive qui his normis non responderint, sive qui ad argumenta privata vel pensa scholastica pertinere videbuntur sive qui ante Kalendas Ianuarias a. 2024 nondum publici iuris facti sint. Cum praemium proponatur curante et auspice Academia Latinitati Fovendae, cuius socii munere iudicis fungentur, nullus sodalis Academiae praemium accipere poterit.

**Praemium victoris erunt Euronummi 500 una cum diplomate.** Omnes candidati de exitu certaminis fient certiores mense Maio anni 2024 et victor in conventu ALF eiusdem anni praemio honestabitur.

Commentarii periodici, qui symbolas Latino sermone scriptas accipiunt, sunt e.g. *Aevum*, *Arctos*, *Aristeas*, *Eos: commentarii Societatis Philologiae Polonorum*, *Epistula Leonina*, *Eranos*, *Exemplaria Classica*, *Giornale Italiano di Filologia*, *Gnomon*, *Hermes*, *Hyperboreus*, *Latinitas*, *Latomus*, *Melissa*, *Museum Helveticum*, *Peitho: examina antiqua*, *Philologia Classica*, *Renascens*, *Rheinisches Museum für Philologie*, *Rhetorica*, *Symbolae Philologorum Posnanensium*, *Tyche*, *Vox Latina*.

# **ECCE MYSTAGOGUS PULCHER AUGUSTANUS**




**<https://maximilianus-schoen.jimdosite.com/>**

***Quomodo communicandum***

**Communicemur per 0821 / 9069613  
sive per [maximilianus-schoen@t-online.de](mailto:maximilianus-schoen@t-online.de)**

**Anfragen unter 0821 / 9069613  
oder per Mail [maximilianus-schoen@t-online.de](mailto:maximilianus-schoen@t-online.de)**





## Alexey Slednikov

К этому письму приложены ссылки на следующие файлы:

### 1. A. Slednikov de Latinitate viva.pdf (87.2 Мб)

Ссылка для скачивания файлов:

<https://cloud.mail.ru/stock/iSxU1M8WCzTk6fyKA38nvuPD>

Файлы будут храниться до 31.10.2023



## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandata- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRETIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	0010 4A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA–Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE –Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	<b>MEMENTO MORI</b>	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 4A	978-3-938905-17-3	<b>MEMENTO MORI –</b>  Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	<b>DE CRAMBAMBULO</b>	Marie von Ebner- Eschen- bach	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	<b>DE DINOSAURIS</b>	Nikolaus Gross	-----	2004	CD- ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	<b>SUDATORIUM VENERIS</b>	Diogenes Anaedoeu s	-----	2004	CD- ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	<b>PERICULUM FRANCISCI</b>	Diogenes Anaedoeu s	-----	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	<b>NUPTIAE ABDERITANAE</b>	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	<b>TESTAMENTUM</b>	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD- ROM	7 pp.	€ 17,50

			<b>REYNERI BERLBYN</b>	Raelt			pdf		
14	01104	978-3-938905-10-4	<b>DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO</b>	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	<b>FABELLAE GRIMMIANAE 1</b>	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	<b>ROMULUS MAGNUS</b>	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	<b>DE THILO CUSTODE FERRIVIAE</b>	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	<b>HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)</b>	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	<b>WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT</b>	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050 5A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060 5A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070 5A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	<b>AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE</b>	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	<b>DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM</b>	Karl Friedrich Kilmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	0030 6A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040 6A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90

27	0050 6A	978-3- 938905- 26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 –  Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	0020 7A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob/Wil- helm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**




**HANC EPISTULAM LEONINAM  
DUCENTESIMAM OCTOGESIMAM TERTIAM**



**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE**

**PERFECIT**

**Die Dominicâ, 20. m. Aug. a. MMXXIII**



**Dr. Nicolaus Groß  
LEO LATINUS  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**